I

JOHANNIS SPORISCHII AB OTTENBACHAW,

MEDICINÆ DOctoris,

LIBRI SEX,

DE RATIONE CURANDI IN ÆGRIS HOMINUM CORPORIBUS MORbos, per bonam diætam.



16 07.

Cum gratia & privilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis, & Imperij Romani ad quinquennium.

Impensis Henningi Grosii Bibliop. Lips.

ORNATISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO VIRO, Dn. HENNINGO GROSSIO, &c.

AB ALIQUOT ANNIS relatu bonorum virorum, ornatissime Vir, Domine & amice dilecte, accepi te hoc unum tibi summo studio habere, ut de liberalibus studiis, de doctis viris & de universa hominum societate posteritateque benè mereri possis: hanc ob causam te multas lucubrationes doctorum virorum diligenter & purè in lucem proferre. Hæc egregia tua fama tam diu aures meas personuit, donec animus meus formidinem ruboremq; seposuit & decrevit tecum agere per excellentem Virum, NICOLAUM LISCAM, mihi in intimis jam diu habitum. Idem me proximis literis impulit, ut ipse meis literis te alloqui non abhorrerem. Quod itaq; per illum

nuper à te petere cepi: Idem nunc tè amanter officioseque rogare pergo, nimirum, ut lucubrationum mearum illustrationem atque editionem, modò dignæ eæ videantur tuis operis, promovere benignè coneris. Hanc ob causam duos libros earum cum his literis mitto. Plures, si horũ editio tibi emolumento, mihi verò honori & commodo fuerit, libenter futuris temporibus, modò vita DEI favore utrique suppetat, à me expecta & cum tuis omnibus, quos in DEI benigna protectione vivere atque à me salutari peto. Benè age feliciterque vale. Dabam Olomucii pridie Cal. Maji, M. DC. VII.

T. P.

ut suus

Iohannes Sporischius ab Ottenbachavv, Medicinæ Doctor.

INDEX

INDEX CAPITUM IN TRACTATUM DE ratione curandi morbos per bonam diætam

(?) 3 4. Quæ

LIBER TERTIUS.

(?) 4 corpo-

LIBER QUARTUS.

9. Tempo-

LIBER QUINTUS.

LIBER

LIBER I.

DE RATIONE CVRANDI IN ÆGRIS hominum corporibus morbos per bonam Diætam.

CAPUT I.

Quatuor Medicorum sectas esse.

VETERUM MEDICORUM volumina excutienti occurrunt tres medicorum sectæ, quæ id præcipuè sibi studio habuerūt, t humano generi commodo essent, arijs morborum insultibus, qui corpo- humana affligere & immaturæ mor- quandoq; objicere solent, salutarem edendi rationem opponerent, virium icolumitatem ac corporum humano- um sanitatem omni conatu conserva- nt & morbos jam factos, citra pericu- m, dextrè expugnarent atq; in inte- ritatem incolumitatemq; virium ægra ominum corpora aut eorundem mem- a, molestis affectionibus obnoxia, vindi-

Tres fuisse priscorum medicorū sectas.

Prima secta medicos rationales habuit.

vindicarent. Omnium prima, præcipua & antiquissima secta eorum fuit medicorum, qui dextro rationis præstantis judicio naturæ opera observare & ea, quantum humanæ industriæ Divina concessit clementia, summo conatu imitari studuerunt. Hi rationales medici nuncupari voluerunt ob id, quod rectæ rationis ductu ac monitu omnes suas operationes accommodabant naturæ actionibus & causis, quæ in naturæ scrinio latentes integritatem vel læsionem actionibus in corporibus humanis, quamdiu vitam habent, præstare advertuntur.

Bona victus ratione morbos curare antiqui medici studuerũt.

Non autem ullo medicamentorum genere initio usi sunt, sed omnibus in universum morbis, qui corporibus humanis accidebant, bona vivendi ratione occurrere & læsiones facultatum instrumentorumvè corrigere conati sunt, ut testatur Isocrates in Busiridis encomio, cùm mentionem facit medicorum Aegyptorum, quos sacerdotes fuisse in eo populo ostendit & ait: ἐκεῖνοι τοῖς μὲν σώμασιν ἰατρικὴν ἐξεῦρον ἐπικουρίαν, οὐ διακεκινδυνευμένοις φαρμάκοις χρωμένην· ἀλλὰ τοιούτοις, ἃ τὴν μὲν ἀσφάλειαν

ἔχ

χει ὁμοίαν τῇ τροφῇ καθ᾽ ἡμέραν, τὰς δὲ ὠφελείας τηλικαύτας, ὥςτε ἐκείνους ὁμολογουμένως ὑγιεινοτάτους καὶ μακροβιωτάτους εἶναι. Huius sectæ cultorem & assertorem primarium inter medicos Græcos, quorũ scripta ad nostram ætatem pervenerunt, fuisse Hyppocratem Coum declarant omnia ejus volumina, quæ ad posteritatem transmissa adhuc sunt in manibus medicorum, qui rationis rectæ ductu & artis medendi cognitione adjuti corporum humanorum curam habent. Quanquam enim idem in multis locis ægrorũ hominum curationi multa simplicia medicaména, interdum etiã, & admodũ rarò, composita adhibet, quorum usus & facultas suis temporibus innotuerat: tamen præcipuè morborum curatione bonæ & convenienti victus rationi inniti advertitur, sicuti apparet in ejus libro 1. Aphor. part. 4. 5. 7. & consequentibus aliquot; & lib. 2. Aph. part. 7. 8. 16. 17. 18. 32. 38. præter hæc etiam in tribus de victu acutorum morborum libris. Altera secta fuit eorum, qui ratione & experientia adjuti medicaminibus simplicibus & compo-

Hippocrates primæ sectæ lumẽ.

Secunda secta Methodicos continet.

Objecta, circa quæ hujus sectæ medici versabantur.

sitis mederi morbis, in humanis corpo ribus apparentibus, cæperunt. Hi divi narum mentium acumine non tantùm universa in hominis structura con templabantur & morborum cum ge nera & locos, tum causas & symptoma ta diligenter inquirebant: verùm etiam naturæ fœtus, quos in aëre, aquis, terr & visceribus terræ ineffabilis DEI Sa pientia omnipotētis Verbi efficacia pro duxit & adhuc benigno suo favore con servat, excutientes inquirebant rerum creatarum latentes essentias, qualita tes & facultates: Atq; insistentes hui principio, quod asseverat æquè contr ria contrarijs cedere, atque similia simil bus foventur, conservantur & roboran tur, modò corporum humanorum par ticulis languore correptis, extrinseci admovebant, modò alimentis miscebant aut per se præparatas ita, ut à calore na turali confictet ad agendum irritari pos sent, intra corpus dabant simplices me dicinas, quæ qualitatibus & facultati bus aliàs morbo, aliàs causæ morbi, a liàs symptomati contrarijs in ægrorum hominum corporibus agerent id, quo

Hanc sectā simplicibꝰ medicamētis primùm curasse.

vel humani corporis particulas sanas muniret & ægris succurreret: vel morbos causas symptomataque morborum expugnaret & ægros homines pristinæ incolumitati viriumq; integritati restitueret. Accessit tandem artificiosa humanorum ingeniorum industria, quæ ex simplicibus medicamentis, inter se ratione methodoq; certa mistis, composita faciebat medicamenta, ut ea, necessitate ita requirente, in morborum curationibus aliàs extrinsecùs particulis affectis adhiberentur, aliàs intra corpus sub diversis formis sumerentur atq; hoc, quo necesse est, modo & non alio naturam corporum ad actum irritarent. Medicamenta enim, teste Galeno, lib. de cognoscendis renum affectibus cap. 4. per se causas extirpare nequeunt: sed naturæ adminiculum requirunt & fermè solum impetum motusq; initium naturæ inijciunt, reliqua per se natura administrat atq; perficit. Naturam autem opus habere adminiculis & instrumentis disertè docet Avicenna lib. 4. Fen. 1. tra. 2. cap. 9. cùm inquit: Curans est virtus, non medicus: at medicus est minister,

Ex simplicibus medicinis Antidotos cōpositas fieri cepisse.

qui facit pervenire instrumenta ad virtutem. Ex quibus apparet non aliter naturam ad actum irritari, quàm sicuti instrumenta irritantia qualificata & virtute agendi instructa sunt. Agit itaque natura irritata: sed eo modo, quo medicamenti potentia & qualitate irritatur. Quæ si competit morbo & causæ morbi, felici eventu ægrum beat pariter atque medicum: Sin non convenit, contrarium intentioni medicæ effectum subsequi mirum non est. Quæ res luce meridiana clariùs probat sententiam erroneam esse eorum, qui adstruunt unū quodlibet purgans quemlibet humorem trahere. Multum etiam à vero abesset id, quod dicit Hippocr. lib. 1. Aph. part. 2. 23. 25. Etsi autem Galenus libro de optima secta ad Trasybulum c. 4. naturæ multum tribuit: tamen eodem capite asseverat purgantium medicamentorum vim humores trahere. Hæc secta quanquam acutiore ingenio & audaciore animo superare videbatur medicos ejus sectæ, quæ bona ac convenicnte victus ratione morborum profligationi & humanorum corporum incolu-

Vide Hip. lib. 4. Aph. 2.

Medicatio in bonam diætam adhiberi.

columitati studebat: tamen rarò aut nūquam suis inventis cōtenta erat in morborum curationibus, sed medicamentorum inventorum operationes feliciores, faciliores & securiores bona laudabiliq; diæta facere studebat. Quam ob rem placita & theoremata primæ sectæ multo obsequio venerabatur & cupidè amplectebatur. Ratione enim edocta & experientia confirmata planè judicabat exquisitissima remedia parum operæ in morborum curatione præstare humanis corporibus, nisi accommodata & exquisita victus ratione eorum qualitates, facultates & actiones juvarentur. Hanc ob causam Gal. lib. 11. Method. cap. 15. ait: cùm ars medendi tota sit magna, non levissima ejus pars est ordinatio victus. Cui consentit tum Avicenna lib. 4. Can. Fen. 1. Tract. 2. c. 8. inquiens: Quando times casum virtutis, tunc cibatio est melior medicatione, videlicet, quæ vel evacuat vel coquendo præparat: tum Hali Abbas li. 8. practicæ c. 35. ubi dicit: si ægrū cibis curare poteris, medicamina nō dederis. Hujus sectæ medicos, propter præclarā sapientiæ & scien-

Medicamenta absque convenienti diæta parum prodesse.

Medicos secundæ sectæ in magna autoritate esse.

ſcientiæ opinionem æquè, ac mirabiles operas, quæ felicitatem & utilitatem habere advertebantur, non tantùm in magna autoritate fuiſſe apud Ethnicos Principes ex hiſtoriarum monimentis paſſim apparet, ſicut apud Suetonium lib. in vita Iulij Cæſaris legimus omnes medicinam Romæ profeſſos liberalium artium doctores, civitate donatos, quò libentiùs & ipſi urbem incolerent & appeterent, qui honos aliàs, florente adhuc Romanæ urbis Republica, non cuivis facilè contingebat, ſed multos magni conſtabat: verum etiam in politia Iudaica, apud populum Deo electum, maximè floruiſſe & ſecundum religionem cultumq; Divinum, hanc ſectam multa induſtria ſingulariq; ſtudio cultam fuiſſe ſacra ſcriptura in multis locis teſtatur. Paralipomenon enim lib. 1. cap. 9. docetur, quòd tantùm filijs ſacerdotum integrum fuerit compoſita medicamenta ex aromatibus facere. Hanc facultatem in domo Levi apud Iſraëlitas manſiſſe ab eò tempore, quo, ut extat Exo. cap. 30. Deus præcipit Moiſi, ut compoſitum faceret medicamentum quo

Sacerdotes in populo Iudaico medici fuerunt & compoſita medicamenta fecerunt.

quo tabernaculũ, utensilia ejus & Levitæ, qui sacerdotio fungerentur, ungi deberent: & addita comminatione exterminij, compositionem usumq; hujusmodi medicaméti prophanos omnes prohibuit, ut creditu facile est, ita ratio confirmat. Nemo enim plebeiorum, qui destitutus est methodo, qua unguentarij expræscripto optimorum medicorũ sua medicamenta componunt, facilè composita medicamenta fecerit, quæ facultate præstanti effectum certum in corporum humanorum curatione evidenter ostenderent: Tertiam sectam constituebant medici, qui, citra naturalium rerum indagationem, sola manuum operatione contenti erant, quoties affectionibus potissimum quidem externorum membrorum, interdum tamen etiam internarum particularum læsionibus mederi debebant. Hi experientiæ, quæ constat longa animadversione eorum, quæ sæpissimè similique modo circa corpora humana contingunt & una eademq; ratione, præsidijs in eum usum inventis, curãtur, insistentes tantùm eorum medicorum, qui methodum cer-

Tertia secta fuit medicorum empiricorum.

 tam

tam observabant in curatione morborum, inventis utebantur. Si verò ea parum feliciter operaretur, ut fit in malis, quæ aut ob suam vehementiam, aut materierum malignitatem, aut longi temporis moram, aut malam victus ratione firmas radices egisse & tam durum callum obduxisse advertuntur, ut nullis medicamentis cedant, ferrum & ignem ex Hippocratis ac veterum medicorum præceptis adhibeant. Et cùm quotidiana experientia testatum faceret his auxilijs admodùm frequenter opus esse in humana vita, quando mala contumacia & nullis medicamentorum facultatibus expugnabilia affligerent hominum corpora adeò, ut, nisi crudelibus hujusmodi subsidijs locus daretur, non modò immedicabilia, verùm etiam vitæ & totius corporis incolumitati noxia & planè lethalia fierent: non minùs hæc secta, atque priores duæ, excoli & methodo certa in hodiernum usque diem tractari cepit. His sectis memoria hominum respiciens præterita mundi tempora, invenit nuper accessisse quartam medicorum sectam. Quæ etsi aliquibus videri

Theophrastitarum vanitas notatur.

possset, quòd originem haberet ex secunda medicorum secta, quæ ratione experientiaque occultas rerum essentias atque facultates rimatur: tamen ob eorum, qui hujus sectæ dogmatibus, quæ revera magnas nugas, manifestas imposturas & noxias vitæ hominum fraudes continent, nomina sua dederunt, imperitiam, levitatem improbitatemque hæc secta parum distare æstimatur à tractatione medicarum materierum, quam ineptæ vetulæ, incantatores, circumforanei, & id genus hominum, qui ob desperationem, ad extremam fortunam in sua vocatione delapsi, ad medicam tractationem impudenter confugiunt, & in ea sedem felicitatis figere nituntur, sat ineptè & ridiculè profitentur. Hæc secta etsi futili lingua plurimum apud imperitum vulgus proficit, dum eruditorum virorum famæ & existimationi non parcit, sed criminationibus obest ac detrahit; saluberrima vitæ humanæ præsidia in suspicionem ducit: & sui autoris, quem erronem & phanatico spiritu instructum fuisse

omnia

omnia, quæ hactenùs vidimus, ejus scripta prudentibus lectoribus abundè testantur, inventa ad cœlum usque laudibus, modò id in viribus haberet, extollere conatur; tamen apud prudentes & cordatos tum medicos, tum homines alios, quorum animi aut philosophicis studijs & honestis disciplinis imbuti, aut oculi per prudentem experientiam absterſi sunt, ut à levi credulitate, vana superstitione & multis admodùm noxia curiositate abhorreant, vilescere cepit adeò, ut præstigiarum, levissimorum scurrarum, veneficorum & nundinatorum, qui stentorea voce, citra ruborem, in publicis urbium oppidorumq; compitis sua medicamenta venundant, malam famam subeant, quicunque hujus sectæ asseclas sese hoc nostro tempore profitentur. Quin etiam ob nimiam hanc adsectam confugientium levitatem & detestandam agendi audaciã, qua unum & idem medicamentum omnibus omnium hominum, ætatum & temporum morbis uno eodemq; modo ac pondere exhibent, prudentibus medicis & aliquo mentis sanæ judicio præstantibus

visis

viris medicatio, qua hæc secta utitur, admodùm suspecta est. Quicūq; enim huic sectæ nomina dederunt, neq; rectæ rationi, neq; artium, quæ methodo certa humanis corporibus mederi docent, fundamentis firmis & perpetuis insistunt: sed illotis, ut ajunt, manibus medicā professionem invadunt & unum atq; alterum medicamentum, quod sine vero ejus intellectu ex veterum Philosophorum & medicorum scriptis transsumpserunt, omnibus omnium ægrorum morbis, sine respectu earum rerum, quæ à prudentibus & exercitatis medicis circa ægrorum hominum corpora curanda considerantur, accommodant. Non enim arte fieri censent, quæcunq; à doctis viris in curatione hominum ægrorum suscipiuntur: sed fortunam & fortuitum casum omnia medici opera gubernare. Atque ut authoritatem apud imperitum vulgus sibi adquirant impudentemq; temeritatem occidendi homines meliùs velent, doctos viros & artem medicam, quæ tot seculorum ætatibus celebrata & Regum Principūq; tum favore & patrocinio, tum honore & jmu-

& munificentia digna habita est: neque hoc nostro tempore immunitate, defensione & liberalitate Principum ac optimorum hominum favore beneficentiaq; destituitur, cùm DEI donum sit & penè innumerabilia commoda vitæ conversationiq; hominum præstet, garrula & futili linguæ mirandum in modum apud eos, quorum aures pruriunt audire calumnias, in honestas artes & doctos viros effusas criminari atq; crudeliter traducere sibi maximæ laudi, interdum etiam commodo esse experiuntur. Sed dum hi, instar ranarum, limosis paludibus gaudentium, bonis viris obstrepunt & arti medicæ clamosa garrulitate nocere laborant: semper in impuris lacubus versantur & nunquam ad veram scientiam medicinæ perveniunt. Est enim medicina ars, quæ non constat incertis conjecturis, sed ratione inventis & experiētia comprobatis præceptis, quæ ad sanitatem conservandam & morbos profligandos aliquem usum habent, etiamsi tum operæ medentium interdum varient, unde in curatione incertus eventus est, neq; medici finem suum

Qualis ars sit Medicina.

uum semper consequuntur, quem cupi-
int: tum ij, qui ingenio & favore DEI
iestituti, vel ignavia & voluptate impe-
liti, mysteria artis divinæ planè cogno-
cere nequeunt, artem criminentur &
allacibus opinionibus conjecturisque
onstare asseverent. Interim autem ter
ptimum maximum clementis DEI
Numen non modò dona sua, quæ hu-
nanæ societati sanitatis conservandæ
c recuperandæ gratiâ contulit, au-
et atque illustrat: sed etiam fideles ac
edulos artis sacrosanctæ & nullis un-
uam seculorum ætatibus extirpandæ
ultores, præter spem & expectatio-
em invidorum atque cæcutientium
nedicastrorum, utut hi opinione sci-
ntiæ inflentur, mirificè ornat, pro-
novet & felicibus operarum successi-
us celebres reddit præ ijs, qui omnium
rtium principia Diabolico furore jam-
udum malunt eversa esse, ut tantùm
ua fex, infixa profundo cæcæ igno-
antiæ luto, commendari & aliquo
oco stare possit. Hinc etiam Divi-
ia providentia non tantùm in aulis
ptimorum Regum, Principum ac pro-
cerum

Deus medicos ornat, alias juvat.

cerum, ſed in liberis ac benè conſtitutis Rebuspublicis honeſtiſsimis ſtipendijs aluntur ingenui medici, quorū eruditio & peritia rei medicæ publicis Academiarum, benè conſtitutarum, teſtimonijs & honoribus ex Principum ſolennibus conſtitutionibus approbata eſt. Horum enim operæ & Deo probantur: & humanæ converſationi utiles cognoſcuntur: Erronum verò & impoſtorum nugæ, non modò in Deum impiæ ac contumelioſæ, ſed etiam Rebuspublicis probroſæ, hominibus noxiæ & juventuti literariæ, quæ honorum ſtimulis ad diligentiam excitatur eò uſq; donec utiliſsimarum ſcientiarum & virtutum ſuaviſsimis ornamentis alliciatur & capiatur, ut ad ſolidam eruditionem perveniat, maximè inſidioſæ, ab omnibus cordatis & prudentibus paſsim ridentur ac negliguntur. Cùm itaque de ſecundæ ac tertiæ ſectæ dogmatibus copioſè, ex ſententia optimorum medicorum, alibi tractaverimus: jam omiſſa & exploſa quarta medicaſtrorum neotericorum ſecta, omni ſtudio in id incumbemus, quomodò in hoc operæ primæ

Propoſitio.

ſecta

sectæ placita comprehendamus & artis medicæ cognitionem affectantibus studiosis ob oculos ponamus. Instituti enim nostri est in hoc volumine ostẽdere, qua ratione per bonam diætam morbis humanorum corporum mederi possimus. Ad hoc institutum veluti nos compulit veneranda hujus sectæ vetustas atque præstantia: ita calcar adjecit animo multiplex & crebra experientia, qua hactenus cognovimus multorum hominũ naturas planè à medicamentorum usu abhorrere, & tamen medicorum opera consilióque tam ad conservandam, quàm recuperandam sanitatem non rarò indigere. Plerorumque etiam hominum corpora ita quandoque disposita sunt, ut medicinis, quibus indigent, securè uti nequeant. Accedit quarta causa, quòd nimirum etiam medicationes infelices sunt, ubi idonea victus ratio negligitur, sicuti testatur Hali Abbas Lib. 3. pract. cap. 16. cùm ait: oportet hujus febris dominium hac vivendi

Quæ hujus commentationis causa.

ratione coërcere. Caveasq; in ea penes infirmum peccare. Minima namq; transgressio sive in cibo sive in potu fiat penes ægrum, qui patitur morbũ acutum, magnum facit nocumentũ: aut si non suo utaris ijs tempore: in morbis autem prolixioribus error non apparet, nisi aut augeatur aut frequentetur.

CAP. II.

Divisio morborum.

Sanitas quomodò conservetur & amittatur.

SAnitas, quæ est bona corporis humani constitutio, in qua instrumẽta & facultates animæ, propter similarium membrorum laudabilem temperiem & membrorum instrumentalium formam, numerum, magnitudinem compositionemq; convenientem, legitimè, tempestivè & dextrè munia sua obeunt, veluti in corporibus humanis conservatur, quando circa eadem omnia legitimo modo fiunt: Ita eadem amittitur, ubi ex imprudentia, petu-

petulantia aut fortuito aliquo casu error in ijs accidit, quæ ad vitæ & sanitatis statum conservandum necessariò requiruntur. Cùm enim corpora humana ita à providentia Divina condita sint, ut non modò quotidiè plurimũ per ordinarias variarũ excretionum vias ijs decedat: sed & singulis penè momentis per insensibilem difflationem & exhalationem tanta inanitio fiat, ut hominum corpora diu tam in statu incolumitatis, quàm in vitæ humanæ theatro durare non possent, nisi id, quod per istiusmodi excretiones & fluxibilitatẽ corpori humano decedit, quotidiè idoneo alimento substitueretur & conveniente victus ratione suppleretur: necessaria omnino erat naturæ providentia, quæ victum convenientem corporibus humanis produceret & ostenderet, quomodò in locũ eorũ, quæ quotidie corporibus humanis decedunt, substituerentur ea, quæ ad vitã prorogandã viriũq; robur conservãdũ plurimũ momenti haberent. *Victus rationem per naturæ providentiam innotuisse.*

Hinc vires exhaustas labore & vigiliis recreari videmus quiete ac somno: veluti ingenij facultates vegetiores & amœniores fiunt, quādo relaxatione animi vicissitudo inducitur. Quod enim caret alterna requie, durabile nō est? Hæc reparat vires fessaque membra levat. Quam ob rem idem Poëta alibi prudenter scripsit ocia corpus alere, animum quoque illis pasci & vegetari: contrà ab immodico labore utrumq; carpi & enervari. Sicuti autem virium robur, quod labore & vigiliis exhaustum est, quiete ac somno tempestivo atque convenienti optimè reficitur: haud secùs id, quod tum mēbris similaribus & instrumentalibus, tum humoribus, spiritibus & facultatibus, in corpore humano ad vitam & munia obeunda valdè necessarijs, per excretiones varias & insensibilem pororum in cute per spirationem decedit, idoneo alimento reponi desiderat. Tam diu enim calor ingenitus corpori humano vitam conservat & munia

Ovid. ep. 3.

Lib. 1. de Pont.

Infr. cap. 6.

Quousque calor naturalis in

n'a sua in instrumentalibus particulis agit, quàm diu humidum primogene-um eundem in corporibus humanis ac eorundem particulis fovet. Calor verò naturalis, suis qualitatibus agens n humidum radicale, facilè illud absumeret, nisi ei pabulum objiceretur, n quod ageret atque sua efficacia alterandi illud conficeret, ut inde membra instrumentalia similariaq; recrearentur & quippiam humido primogeneo simile substitueretur, quod calorem ingenitum conservaret. Id enim, quod humido ingenito decedit, humana industria nunquam restituitur, sed alimentorum essentia ac qualitate convenienti ita humidum primogeneum attemperatur, ut diutiùs n corporibus humanis duret & per multa tempora calido ingenito sufficiat. Natura enim, mediante calore naturali, humido primogeneo quiddam substātia simile exalimentis producit per multiplicem alterationem, quæ in diversis coctionum & distribu-

corporibus humanis persistat.

Humidum radicale quo calor fovetur, substitutione opus habet.

Quid calor naturalis ex alimentis assumtis in corpore humano producat.

 tionum

tionum locis fit, quo membra similaria irrorantur, vegetantur, augentur, roborantur & conservantur. Eo calor naturalis non modò in membris fovetur, sed & impeditur, ne subitò humidum primogeneum depopuletur. Quam diu itaq; nullus in vivendi ratione error committitur, tam diu calidi ac humidi ingeniti proportio temperata & laudabilis, quæ ex prima Elementorum mistione, æquali vel inæquali orta est, in corpore humano perstat: neque ullum membrum noxam, neque ulla facultas in actionibus suis læsionem sentit. Sed laudabilis atque inculpata sanitas hominem per omnes ætatis grad9 ad plenam senectam deducit, in qua humidum primogeneum à calido innato, quod admodùm circa senectæ limina diminuitur, planè exsiccatur & extrema siccitas, quæ est naturalis hominum mors, calorem naturalem in corpore marcido interire & animam à corpore secedere cogit. Vt primùm verò aliquis in vivendi ratione error committi-

Quousque sanitas corporùm humanorum conservetur.

Mors naturalis est extrema corporum humanorũ siccitas.

tur, statim corporum humanorum instrumẽta aut eorundem facultates actionum læsionẽ sentiuntatq; corpus humanũ, quod errorem commisit, de sanitatis incolumitatisq; statu paulatim vel repentè deijci solet. Quando n. errores magni & frequentes in vitæ diæta fiunt, tum graviter & subitò vita atq; sanitas corporis periclitatur: Sicuti leves ac rari errores aliquando citra noxã ferri à natura forti & benè temperata solent, aliquãdo levia vitæ ac valetudini pericula paulatim inducere advertuntur. Vt enim hoc loco omittamus influentias cœlestes, quæ, ut disputant Astrologi, non rarò alterationes ac morbos corporib9 humanis inducere censentur, hîc solummodò cõmemorabimus, quòd influentiæ cœlestes, tanquã causæ primæ, non agere possint, absentibus causis secũdis ac elementaribus, in quas cœlestium corporum vires, radijs ex diversis cœli locis vario modo emissis, suarum efficaciarum alterationes imprimunt.

Quando corpora hominum ægritudinib9 obnoxia fiant.

Quando morbi subitò, & quãdo paulatim irruãt.

Causas primas agere mediantibus secundis & naturalibus causis.

Oportet enim, ut si [illegible] ecta disponantur, si actum cau[illegible]um primarum recipere debent. Commodè itaque ijs morbis solertia h[illegible]mana occurret, qui à cœlesti influëtia excitari & fieri creduntur, si prudenti vivendi ratione homines caverint, ne corpora sua ita disponantur, ut intemperiem, quam astrorum vis immittere quandoq; fertur, facilè recipiant. Quia verò magna est humanarum mentium ignorantia, qua impediti homines aliquando sua commoda non vident: multorum etiam petulantia ac contumacia adeò crescit, ut commoniti de periculis instantibus verba inventos abire sinant, salutaribus præmonitionibus nullum locum relinquant & in utrãq; aurem sat securi liberaliter delicateq; suo more vivant: ideo influentiarum cœlestium impressionem, quam in Elementis eædem faciunt, faciliũs ad actum impellit ac promovet imprudens inordinataque vitæ ratio, quam passim plurimi mortalium avidè amplectun-

Quomodò morbis, qui vi constellationum fiunt occurratur.

Hominum error & inobedientia vim astrorum juvat.

plectuntur & cum magna contentione severoq; conatu retinere student, quàm cùm cautè & sobriè homines vivunt. Quæ res facit, ut morbi varij in corpora humana sæviant & genus humanũ miserè depopulentur, ut quandoque in epidemialibus morbis experimur. Sicuti autem errores dispares in vita humana committuntur: ita etiam diversi errorum commissórum eventus in corporibꝰ humanis contingunt. Nam veluti manifestum est errores crebros atque grandes etiam gignere atroces & periculosos morbos: ita experientia cognitum habemus ex levibus atq; raris erroribus, quos vitæ humanæ aliquando parit necessitas, aliquando officij ratio inducit, sæpe curiositas invenit, sæpissimè imprudẽtia & ignorantia suscitat, non magnas alterationes in corporibus humanis gigni. Imò plerumque videmus eosdem à natura humana in his corporibus citra noxam tolerari, quæ benè constituta bono ac laudabili tempe-

ramento utuntur, neq; crebros in vivendi ratione errores committunt. Quæ ratio movit medicos, ut præciperent, ne omninò exquisita vivendi ratione uteremur, ut nimirũ errores, quos posteà vel necessitas vel vitæ munia imponerent, faciliùs & citra noxam sustinerentur. Si tamen ex illiusmodi erroribus aliquæ læsiones corporibus humanis cõtingant, ut plurimùm faciles sunt & vitæ periculo carẽt. Quicunq; autem errores in vita humana eveniunt, non unum & idem morborum genus de se gignunt. Non enim idem temperamentũ omnes homines habent: neq; in eandem ætatem unus idemq; vivendi error hominum multitudini incidit: neq; uno eodemq; in loco omnes vivunt: neq; eodem aëre, aquis, ventis & alimentis utuntur: neq; deniq; corpora omnium hominũ uno eodemque modo, ob varias vitæ humanæ professiones, studia, animorũ affectiones & corporum vires, disposita sunt: Sed prout particulæ benè malève

Lib. 1. Aph. 5.

Inde morborum diversitas fiat.

malève ſeſe habent, quæ errores commiſſos ægrè aut facilè ſentiunt: ita ex erroribus admiſſis modò totũ corpꝰ, modo hæc vel illa particula aliàs quidem gravem, aliàs verò levem noxam percipit. Idem de facultatum læſione ſentiendum, quod de particularum affectionibꝰ adduximus. Quando enim ratione errorum commiſſorum huic vel illi facultati aut materia prava trãſmittitur aut õninò idonea materia denegatur, ſive materia illa ſit humorũ maſſa, ſive ſpirituoſum quiddam, quod ad facultatum eſſentiã, à fontibus earum deducendam, & functionum neceſſariarum productionẽ omninò requiritur: tunc illa, quæ primò defectum idoneæ materiæ ſentit, vel pravam & ineptam materiam adeſſe advertit, in affectionem incidit talem, qualem ſua eſſentia ac membrorum organicorum vigor diſpoſitioque ſuſtinere poteſt. Aliquando autem contingit, ut errorem in vita commiſſum & defectum materierum idonearum ſentiant inſtrumenta,

facultatibus citra læsionem permanētibus: aliquando facultates efficiuntur ex defectu idoneorum spirituum æquè, ac præsentia in elaboratorum spirituum, membris instrumentalibus, quæ facultatum functioni famulantur, integris atque illæsis: aliquando tam instrumenta, quàm facultates simul noxas recepisse ex dictionum quacunque mutatione, sive illa abolitione, sive diminutione, sive depravatione contingat, advertantur. Ex erroribus enim, natis in toto corpore, aut particulis instrumentalibus, vel in facultatibus, animæ ad multiplicia munia & miranda opera servientibus in instrumentalibus membris, in quibus, pro diversitate temperamentorum, producuntur actiones diversæ & valdè necessariæ tum ad vitæ sanitatisque conservationem, tum ad communem in politijs conversationem & humani generis propagationem, posteaquam illos natura corrigere non potest, generantur morbi, quià medicis, perspicuita-

ſpicuitatis causâ, in duo univerſalia morborum genera dividuntur. Alterum enim genus conſtituunt morborum Chronicorum: alterum Acutorum eſſe volunt. Chronicos morbos definiunt eos, qui terminũ unius menſis excedunt, & nõ tantùm in quorundam hominum corporibus, quæ talibus morbis quandoque corripiuntur, multos menſes durant, verùm etiam ſæpenumerò ſuam ſævitiam in annum unum, alterum, tertium & plures extendunt. Quorum aliqui etſi ſunt graves tamen non ſemper lethales eſſe cognoſcuntur, cum plerique ægrorum, quos talibus morbis conflictari contingit, ex illis benignitate DEI & ſedula fidelium exercitatorumq; medicorum opera, propria induſtria & attenta vivendi ratione emergant: Aliqui verò & moleſti & lethales ſunt, cùm neque curationibus, neque idonea vivendi ratione arceri poſſint, præſertim cùm ex interventu longi temporis firmas in ægris corporibus radi-

Morborum generalis diviſio.

Morbi Chronici qui ſint.

Morborum Chronicorum aliqui lethales, aliqui minus periculoſi ſunt.

radices egerunt, ſed corpora humana, poſt longos cruciatus, diſſolvant & ejuſmodi ægros ê vivorum hominum theatro auferant. Quanquam inficias ire haud quaquam poſſumus morbos Chronicos, qui lethales non ſunt, ſæpiſſimè exacerbari & planè vitæ humanæ periculoſos fieri, ſi vel inordinata & indebita victus ratione ægri in iiſdem utantur: vel pravè & inconvenienter curatio per imperitos medicos illis adhibeatur: Et eos, qui lethales ſunt, idonea victus ratione mitigari coërceriq;, ut ægri diutiùs vitam fovere in ſuis corpuſculis poſſint, quâ morbi vis per inordinatum ac cauſis morbi conſentientem vivendi modum irritata atque aucta permitteret.

Morbos mites exacerbari & lethales mitigari diæta & meditatione.

Lege Hip. lib. 1. Ap. partic. 4. 5. 8. 9. &c. Item lib. 3. Aph. 3.

Acutorum verò morborum nomine complectimur eas affectiones, quæ vehementes alterationes corporibus humanis inducunt ſua malignitate, virulentia & feroci vehementia, quæ ſubitò vel ad ſalutem vel ad interitum feruntur. Hi morbi terminum quadragin-

Morbi acuti qui ſint. Inf. cap. 5.

draginta dierum non superant. Sunt autem ex eorum numero aliqui, quos decimum & quartum diem non excedere, sed intra hunc sanitatem vel interitum ægris hominibus promittere suo metu à medicis industrijs & eruditis observatum est. Proinde peracutorum morborũ classem constituũnt. Sicuti etiam hujus generis plerique morbi habentur, quos acutissimos dicimus eam ob rem, quod septimam diem raro aut nunquam excedunt, sed plerumque quarto vel septimo die ægrum interimunt aut in pristinum sanitatis statum redire sinunt. *Acutorum morborum subdivisio.*

CAP. III.

De morborum Chronicorum materia.

MOrbi qui Chronici appellantur eam ob rem, quod terminũ quadraginta dierum excedunt & multa tempora in ægris hominũ corporibus durant *Morbi Chronici ægris & medicis molesti sunt.*

durant, ægris hominibus tantò molestiores sunt, quantò sæviora symptomata habent, & quantò animi ægrorum hominum majore impatientia, propter teneritudinem corporum & delicatos vivendi mores, laborant: medicis verò exercitatis multas curas & anxios labores, sicuti indoctis, & empiricis infelices conatuum suorum eventus promittunt. Nam ægerrimè curationem admittunt & multo tempore doctaq; solertia indigent ad coctionem materierū peccantium, quæ hujusmodi morborum causas materiales & essentiam constituunt, præsertim si in profundis corporis humani particulis eæ lateant, ad quas medicamentorum & alimentorum interdum essentiæ à calore naturali præparatæ, interdum qualitates & facultates idoneæ difficulter & non, nisi præparatis vijs, per quas tum præsidiorum essentiales facultates ad affectum locum dirigi, tum materia peccans commodè educi debet, penetrare solent.

Cur multo tempore opus sit ad morborum Chronicorum curationem.

Ma-

Materiæ enim illæ, quæ morborum Chronicorum essentiam constituunt, sunt frigidæ, crassæ, viscosæ, lentæ, tardi motus & difficilis coctionis difficiliorisq; eductionis, quandoquidem loco affecto tenaciter inhærent. Unde fit, ut morbi, quorum essentia in talibus humoribus consistit, ægrè tardeque ad statum, in quo judicium de morbi exitu salubri vel lethalià naturâ ostenditur, perveniant. Tales sunt pituita & atra bilis; quando nimirum horum humorum substantia quantitate qualitateve ita universum hominis corpus aut aliquam particulam occupat, ut in non naturalem & morbosum humorem convertatur, totum corpus aut locum affectum in non naturalem & morbosum statim deducat actionesq; facultatum in instrumentis lædat. Etsi enim hujusmodi humores necessariò in corpore humano ex chylo, per venas mesaraicas ad epar suctione tracto, beneficio caloris naturalis, qui

Materiæ morborum Chronicorũ.

Hi humores in corporibus humanis semper & necessariò generari.

ibi, tanquam in officina, humores utiles ac necessarios ad nutritionem corporum humanorum & vitæ conservationem præparat, quotidie generantur ac partim in sua receptacula segregantur, partim unà cum massa sanguinea in omnia totius corporis membra adminiculo venarum ducuntur; tamen neq; membris, neque facultatibus, neque humoribus, neq; spiritibus corporis humani ullam noxam inferunt tantisper, dum debitam substantiam & legitimam ad reliquos corporum humanorum humores proportionem in quantitate & qualitate iidem retinent. Cùm primùm verò bonitatis suæ coditionem amittunt & vel cõsistentiam ineptam adquirunt, vel latitudinem quantitatis qualitatisve naturalem excedunt; jam non ampliùs iidem humores secundum naturam se habere dicuntur, neq; membra, quorum nutritioni & operationi servire debet, nutriunt, velut antè consueverunt, neq; in

Quando generati humores citra noxam in corpore existant.

Quando iidem morbos producant.

in incolumitatis ſtatu conſervant: ſed non naturales fiunt & affectus præter naturales corporib' aut membris inducunt, qui facultates in inſtrumentis, quandoque etiam ipſa inſtrumenta afficiunt, atque eorum actiones lædunt, impediunt aut deſtruunt. Hæ facultatum & inſtrumentorum læſiones, quas actiones quocunque modo vitiatæ oſtendunt, morbi dicuntur, qui, ſicuti oſtenſum eſt, ab humoribus frigidis originem ducunt & per multa tempora in corporibus humanis atque eorundem membris, quæ ſemel invaſerunt & occuparunt adeò firmiter, ut radices in illis egiſſe videantur, durant. Nam iſtiuſmodi materiæ coctioni & præparationi, quæ per medicamenta & bonam vivendi rationem à peritis & ſolertibus medicis inſtituitur, admodùm reſiſtunt; neque per ſe loco, in quo coacervati ſunt ſecundum naturam vel præter naturam, moventur: neque à virtu-

Quid ſint morbi.

te coctrice in particula affecta intra breve tempus consumi: neq; à virtute expultrice propelli ad vias, excretioni hujusmodi superfluitatum destinatas, facilè possunt. Imò plerumq; fieri videmus & experimur, quòd in ejusmodi morbis materiæ peccantes nullis nec medicationib', nec aliis artis medicæ præsidiis cedunt, nisi causæ eorũ externæ, quæ nimirum materiãs morbificas, & morborum Chronicorum essentiam, producunt, fovent, augent, irritant & maligniores faciunt, antè omnia auferantur, vel, si id fieri, sicut debet, nequeat, aliquo modo corrigantur. Ne itaq; in Chronicorum morborum materialibus & essentialibus causis dubium aut difficultas ad cognoscendum & tum concoquendum, tum expellendum eas incidat, in sequenti capite ea, quæ poterimus, brevitate causas earum effectrices, quas externas aliàs & irritantes dicimus, enumerare constituimus.

Morborum Chronicorum causas internas non posse consumi antè, quàm causæ externæ, unde producuntur, auferantur.

CAP

CAP. IV.

De causis προκαταρκτικοῖς, sive externis & irritantibus, morborum Chronicorum.

Causarũ, qui morbos ac sympto- mata in corporibus humanis sæpenumerò excitant, alia est προηγουμένη, quæ Cornelio Celso præcedens, interna & latens dicitur atq; est affectus præter naturam, qui actiones facultatum in instrumentis lædere potest. Hæc in corpore animato collecta consistit & quiescit tantisper, dum ab aliqua occasione & causa extrinsecus adveniente ad actum irritatur. Colligitur verò ut plurimum ab iis, quæ quidem de substantia corporum animatorum neutiquam sunt, & tamen ad eorum conservationem necessariò requiruntur. Alia est προκαταρκτικὴ, quæ apud nos medicos evidens, manifesta & externa causa sive occasio morbi dicitur. Extrinsecùs

Causæ internæ quæ sint.

Causa externaque sit.

cus enim advenit & tantisper alterat atque immutat corpora, donec ea de sanitatis statu dejiciat. Hæc quando per se fortis est aut coadjuvantium causarum, quarum variæ esse possunt, frequenti multitudine stipatur, subitò & quasi uno impetu internam causam ad actum impellit, ut instrumenta vel facultates, vel utraque simul, cum ejus multitudo magna & malignitas vehemens est, afficiat, unde actionum læsiones sequuntur. Quando verò debilis est, neque concursu coadjuvantium causarum munitur, tum paulatim agit, donec interna causa irritetur. Hujus etiam causæ actum promovent corpora benè ad externæ causæ actum recipiendum prædisposita non aliter, atque ejus impressioni & actui fortiter resistunt subjecta, quando hæc pura sunt, neque talem materiam apud se collectã habent, neq; fovent, qualem in agendo causæ externæ requirunt, si

Causas externas aliquando fortes & multas: aliquando debiles & paucas esse.

Quæ causæ externæ actionem promoveant, & quæ eandem impediant,

i effectum, quem intendunt, produ-
cere debeant. Quæ itaq; causæ conti-
nentur sub genere προκαταρκτικῶν αἰ-
τίων, etiam τὰς προηγουμένας antè in cor-
poribus hominum, qui imprudenter
vixerunt, nec valetudinis suæ dili-
gentem rationem habuerunt, gene-
rarunt & eò usq; auxerunt, donec à
corporibus humanis aut eorundem
particulis, in quibus secundum na-
turam vel præter naturam coacerva-
bantur, citra molestiam sustineri
non possent. Tandem enim ab ali-
qua irritantium causarum, quæ oc-
casiones morborum nuncupantur,
impulsæ causæ morborum conjun-
ctæ & latentes sanitatem totius cor-
poris vel quarundam particularum
oppugnare incipiunt, donec actio-
nes læsæ apparent & morbum cau-
samque morbi cum loco affecto pro-
dunt: fovent etiam & augent mor-
bum, quàm diu in affecto loco per-
manent atque in conveniente usu
sex rerum non naturalium augen-

Causæ internæ ab externis productæ sunt.

Causæ internæ quando morbum excitent.

Morborum Chronicorũ causæ externæ.

tur & exacerbantur. Hæc causarum genera etiam concurrunt in generatione morborum Chronicorum, quorum materiam & conjunctam causam, à qua iidem foventur atque exacerbantur, diximus esse humores frigidos, crassos, lentos, inhærentes & impactos ita membris, ut difficulter alterando coquendoque præparari, multò difficiliùs consumi, produci & extra corpus animatum propelli possint. Hujusmodi enim humores, antè per inordinatam victus rationem, quæ causæ externæ rationem subit, in corporibus humanis longo tempore coacervati, postea levi occasione ad actũ irritati, membra facultatesq; afficiunt & morbos Chronicos producũt, quos læsiones actionum, qualitates cutis & excuntia mutata manifestos faciunt iis, qui exacto rationis, per artem medicam excultæ & exercitatæ, judicio de excessu, defectu & substantia quantitate qualitateve aliena statuere possunt.

Sicuti

Sicuti itaque morborum Chronicorum internæ & latentes causæ sunt humor frigidus & humidus, qualis est pituita: vel frigidus & siccus, qualis est melancholia: Ita eosdem humores producunt, fovent, augent & adfactum, quo corporum humanorum incolumitatem impugnant, irritant & promovent causæ externæ, quæ sua essentia, quantitate & qualitate generare atque exacerbare istiusmodi humores frigidos possunt. Pituitam autem in corporibus animatis augent & qualitates ejus intendunt primùm aër frigidus & humidus, sicuti fieri videmus hiberno tempore & aliàs in iis corporibus, quæ nocturno tempore frequenter iter faciunt, interdiu in locis frigidis ac humidis agunt, noctu corpore & capite non benè adversus frigidas & humidas aeris qualitates munito sub Iove stertunt aut in conclavi frigido & humido vel temperato ita somno nocturno corpora laboribus diurnis fessa ro-

Causæ externæ Chronicorum morborum, qui à pituita foventur.

ſa reficiunt, ut Luna radiis ſuis eorum capita frequenter & multùm, præſertim in ſuo cremento, contingat. Deinde creber & immoderatus uſus alimentorum, quæ vel ſua facultate corpora membrave aliqua corporum nimiùm frigefaciunt & humectant, vel copia ſua ita calorem naturalem coarctant & obruunt, ut difficulter confici, malè diſtribui, ægrè membris aſſimilari & tardius excrementa ſuperfluitatesque eorum conſumi atq; extra corpus dejici poſſint. Huc commodè refertur intemperantia, crapula & nimius vini uſus, quod etſi ſua qualitate & efficacia naturali corpora humana calefacit atque exiccat, quando moderatus ejus inter fercula menſæ uſus eſt: tamen tantum abeſt, ut calefaciat atque ſiccet corpora hominum, qui eo frequenter & nimiùm utuntur, ut etiam maximè refrigeret, humectet & pituitoſorum humorum copiam in heluonum corpori-

bus

ius producat. Vnde fomes & origo morborum Chronicorum fœcunda existit.

Quamobrem Pindarus vinum non immerito βιατὰν ἀμπέλου παῖδα appellat. Ejus autem moderatũ usum esse commodum vitæ mortali asserit Lucianus, cùm in suis Dialogis introducit Iovem ita de vino differentem: οὐ γὰρ οἶνος ταῦτα ποιεῖ, τὸ δὲ ἄμετρον τῆς πόσεως, καὶ τὸ πέρα τοῦ καλῶς ἔχοντος ἐμφορεῖσθαι τοῦ ἀκράτου. ὃς δὲ ἐν ἐμμέτρῳ πίνῃ, ἱλαρώτερον μὲν ἡδίων γίνοιτο: Quartò multus & intempestivus somnus etiam replet humanorum corporum similaria & instrumentalia membra crassis, viscosis, frigidis, & humidis superfluitatibus, præsertim si ille statim à prandio vel cœna in multas horas producatur. In horum enim hominum corporibus, qui nimio somno dediti sunt, excrementa ultra debitum tempus retinentur, à quibus calor naturalis coarcta-

tur,

tur, instrumenta superfluitatum receptioni destinata distenduntur, & tum eorum expultrix vis debilitatur ac concoctrix facultas impeditur, tum vicinorum membrorum, quæ comprimuntur atq; angustantur, operationes impediuntur, ne videlicet calor naturalis in illis liberè munia sua perficere valeat. Hinc illaudabilem fieri alimentorum coctionem, distributionem & assimilationem: excrementorum denique intempestivam inconvenientemq; expulsionem sequi necesse est. Pari ratione intempestivæ immodicæque vigiliæ calorem naturalem dissipant, coctiones impediunt & cruditatibus corpora humana replent: Quintò intermissio exercitiorum consuetorum, nimirum quando ex laboriosa vita homines repètè ad otiosum & delicatum vivendi modum sese conferunt, pituitosarum superfluitatum copiam in corporibus humanis producit, & qualitates earum intendit.

Im-

Immodica enim quiete corpora sagi-
nant, neq; ullis sollicitudinibus, ne-
que laboribus, veluti antè consueve-
rant, exercentur: sed ob benignum
Fortunæ splendorem deliciarum o-
mni genere affluunt & lautè vivunt,
qui anteà ob vilem sortem parcè ac
frugaliter vivere laboribus etiam
duris gravibusq; animorum curis in-
cumbere solebant. Hinc fit, ut ca-
loris naturalis vires in eorum corpo-
ribus debilitentur & multitudine ali-
mentorum obruantur, ne possint a-
deò strenuè munia sua obire, velut
anteà fecerunt sed crudas materias
relinquant & superfluitatibus semi-
coctis corpus enervatum otio & ci-
borum redundantia infarciant. Sex-
tò pituitosas superfluitates in corpo-
ribus humanis coacervat immodi-
cus & intempestivus motus, qui fit
statim, postquam ventriculus cibo o-
neratus coctionem perficere moli-
tur: veluti facit nimis longum & va-
lidum exercitium, quo membra cor-
poris

poris humani valdè resolvuntur, cutis rarefit, sudor largus profunditur & calor naturalis ita dissipatur, ut nunquam aut difficulter recolligi, neque foveri, neque roborari possit: Septimò frequentes & nimiæ evacuationes pituitam augent, sive fiant copiosa sanguinis emissione, immodica purgatione, crebro cucurbitularum multarum cum scarificatione usu, sive nimia & iterata multoties sudoris effusione aut Veneris intempestivo & nimio usu, nimirum qui fit, repleto ventriculo, statim à prandio vel cœna. His enim calor naturalis valdè oppugnatur & dissipatur adeò, ut omnes animæ facultates in membris organicis concidant, neque munia sua præstent. Octavò plurimus, potissimùm à cibo, balneariorum, ex aqua dulci & tepida factarum, usus, qui poros cutis relaxat & aperit, membra præterea similaria externa humiditate replet. Nonò longa mora in balneo aereo, quod in

orpore poros cutis aperit & calo-
em naturalem evocat atq; dissipat:
)ecimò constitutio aeris aquilonaris
k frigida, quæ poros cutis nimi-
m adstringit, condensat & difflatio-
em fuliginositatum sordiumq; per
oros eductionem fieri prohibet. His
nim calor naturalis comprimitur,
mpeditur & suffocatur: Vel intem-
eries aeris frigida & pluviosa, quæ
mnia alimenta hac qualitate imbuit
k in humorum, qui corpora huma-
a nutrire debent, massam, deinde
tiam in membra similaria agit: Vn-
lecimò pituitam generant cum mul-
a & crebra rerum frigidarum ad-
notio, quæ fit in membris externis:
um usus medicamentorum, quæ
im & facultatem frigefaciendi ac
umectandi corpora humana ha-
ent. Melancholicos verò humo- *Causæ externæ melancholicorum morborum.*
es producunt in corporibus huma-
is primò aer calidus & siccus. Hu-
nidum enim, quod est in massa san-
guinea, adurit & humores assando
in

in bilem adustam convertit. Hac r
tione fit, ut in massa sanguinea plur
mum adustæ bilis dominetur: Dei
de generationem humorum adusto
rum in corporibus humanis juvan
alimenta exciccantia & acredine su
humores adurentia: Tertiò immo
dicus, frequens ac durus labor cum
multo jejunio etiam humorum me
lancholicorum copiam auget. Cor
pora enim horum hominum, qui du
ris laboribus aut multis exercitiis
præsertim in aere calido & sicco, de
diti pauco alimento, quod habet fa
cultatē calefaciendi & siccandi cor
pora humana, utuntur, necesse est
melancholicis humoribus repleri
Quartò qui assiduis meditationibus
multis vigiliis, frequentibus lucubra
tionibus & gravibus curis distinen
tur, intra corpora sua plurimum adu
storum humorū coacervant: Quin
tò immoderatus Veneris usus corpo
ra exiccat & crassis melancholicisq;
superfluitatibus obnoxia reddit: Sex
tò

ò crebra & multa natatio in aquis nineralibus, quales sunt aquæ bitu-ninosæ, aluminosæ, sulphureæ aut ni-rosæ, magnam copiam crassorum & dustorum humorum intra breve empus gignit. Septimò his superflu-atibus abundant corpora non mi-ùs, quæ sæpè multumque utuntur ned camentis calidis, acribus & exic-antibus, atque ea, quæ alimentis qua-tate acri, calefaciente, siccante & u-ente humores præditis crebrò nu-riuntur: Octavò plurimum momen-i afferunt hujus humoris generatio-i tristes animi affectus, ut sunt lon-us mœror, anxietas, metus, profun-larum rerum crebræ investigationes & solitudo, qua plerumq; delectan-ur hi, qui contemplatione scientia-um & magni momenti rerum fre-quenter occupantur: Nonò non pa-um faciunt ad humorum melan-holicorum productionem in cor-poribus humanis febres continuæ, ar-dentes, ut inflammationes epatis &

E lon

longæ viſcerũ obſtructiones, in quibus aut maſſa humorum aliorum continetur aut hic humor ſecundum naturam, tanquam in receptaculis ſuis, vel præter naturam, ut in aliis membris, quæ hujus humoris ſuperfluitati recipiendæ non conveniunt colligi conſuevit. Tantò verò faciliùs hæ cauſæ effectus ſuos producunt, quantotum fortiores ſunt vel ad actum plures ſimul concurrunt: tum temperamento corporum, ætatum, anni temporum & vitæ generis promoventur.

CAP. V.

De morborum Acutorum materia.

[illegible] Cap. 2. [illegible].lib.2. [illegible]b.part.23.

MOrbi acuti in triplici ſunt differentia. Alii enim eorum ſimpliciter acuti dicuntur, qui intra decimum quartũ diem à die inſultus planè judicantur, an ſalubres vel letha-

les

es sint. Ad hoc acutorum morborum genus pertinent etiã morbi tum ii, qui à die invasionis vel intra vigesimum diem judicantur & finiuntur, vel eundẽ duratione sua contingunt: tum illi, qui terminum quadraginta dierum habent apud Hippo. Lib. 1. prog. part. 28. Alii verò ex eis appellantur acutissimi, quòd quartũ diem excedunt, & septimum rarò, nisi sint salubres transgrediuntur: Alii deniq; peracutissimi habentur, qui ultra quartum diem non extenduntur. Sicuti enim morbi Chronici ob materierum cruditatem ac lentorem tardiùs coquuntur & seriùs ad statum, in quo fit judicium de salute vel interitu ægri hominis, perveniunt: Ita morbi acuti subito motu ad statum feruntur & certi quippiã de salute vel morte ægrorũ hominũ medicis peritis eo morbi tẽpore ostendunt. Propter celerẽ itaq; mutationem Hippocrates vult medicos in prædicẽdo cautos & providos esse, cùm Lib. 2. Apho. part. 19. mo-

Cur morbi aliqui dicuntur Acuti.

19. monet acutorum morborum non omninò certas esse prænunciationes salutis aut mortis, cùm utrumque facilè in tam repentino motu contingat. Nam materialis causa, quæ in morbis semper conjuncta est, & sua præsentia eorum morborum, qui à materia fiunt, essentiam fovet, ut plurimum calida & humida vel calida & sicca deprehenditur. Quæ celeris est motus & neq; à medicamentis, neque à natura multam coctionem fieri desiderat, sed aut ad languentium hominum interitum aut salutem tempore vigoris inclinat. Quanquam etiam calida & sicca qualitas interdum, citra materiæ ullius præsentiam, hujusmodi morbos excitat, qui intra spacium non tantùm quatuor dierum, verùm etiam viginti quatuor horarum perfectè judicari consueverunt. Sic quotidiana experientia testatur morbos acutos etiam fieri ex materiebus frigidis, quando eædem sanguini redundanti &

Quam qualitatem habeant materiæ morborum acutorum.

Morbos acutos aliquando sine materia esse.

Aliquando morborum Acutorum materias esse frigidas.

&c, ob copiam suam, cruditatem habenti vel bili flavæ permistæ nobilem ac principem aliquam particulam cum feroci impetu invadunt, ut non raró in apoplexia, paralysi, syncope & similibus affectibus apparet. Tales autem materiæ, quæ morbos calidos & acutos generant atque fovent in corporibus humanis, sunt primùm sanguis, cum substantia tenui vel crassa: quantitate ita, ut aliàs naturæ vires multitudine adgravet vel vasa distendat, aliàs deficiat in iis membris, quæ eo ad sui nutritionem & facultatum, spirituum actionumq; conservationem opus habent: vel qualitate virulenta, putrida, nimis calida & humida, vel nimis calida & sicca, ut etiam frigiditas cum humiditate vel siccitate nimia ei accidere potest, ex humorum eidem permistorum proportione æquali vel inæquali, peccat vel violento ac non naturali motu fertur in membra, in quibus secundum naturam coacervari

Causæ Internæ Acutorum morborum.

Sanguis animantium naturæ familiarissimus humor.

neutiquam consuevit. Etiamsi enim hic humor omni animantium generi adeò amicus ac familiaris sit, ut jure optimo à Philosophis vitæ thesaurus habeatur & mores animi ex ejus consistentia in humanis corporib. omninò proveniant, ut asseverat Plin. Lib. 11. naturalis historiæ capit. 38. his verbis: Magna in sanguine vitalitatis portio. Emissus spiritum secum trahit, tamen tactum nō sentit. Animalium fortiora, quibus sanguis crassior: sapientiora, quibus tenuior: timidiora, quibus minimus: at quibus nullus, hebetiora: Quod & sacræ literæ affirmant, cùm dicunt vitalem animalium omnium spiritum in sanguine contineri: Tamen idem, quando naturalem suam essentiam ac bonitatem amittit, in corporibus humanis non rarò graves lethalesvé morbos excitat. Hoc fit aliquando ex venenosi, putridi ac pestilentis aeris inspiratione: aliquando ex contactu infectorum corporum: aliquando ex

Sanguis non naturalis autorum morborū fomes.

vene-

veneni sumptione: aliquando ex sui ipsius essentia, cùm propter obstructiones in particulis diu continetur, neque eventari potest. Deinde acutorum morborum materialis & essentialis causa est bilis flava, nimirum humor calidus, siccus & acris, qui interdum spiritus, interdum humorum massam & tum similares particulas, tum solida membra inflammat. Sicuti enim hic humor admodùm necessarius est corpori humano, quandoquidem multum de natura ignea participat: & corpora humana eo valdè opus habent ad conservationem caloris naturalis, peragendam coctionem & expulsionẽ excrementorum. Virtutem enim coctricem adjuvat & expultricem sua qualitate stimulat excitatq́; , ut superflua tempestivè ê corpore humano educat, neque coacervari sinat in membris tum similaribus, tum organicis ea, quæ ad nutritionem membrorum & spirituum generationem nullius usus sunt:

Bilis flava morborum acutorum causa interna est.

Bilis flava necessariò in humanis corporibus generatur.

Infra lib. 4. cap. 1.

Noxa biliosi humoris, quando naturalem statum amittit.

sunt: Ita gravissimas læsiones vitæ, facultatibus & organis corporis humani infert membraq; similaria destruit, quando naturalem suam essentiam non retinet, sed vel ex veneni haustu, vel inconveniente diæta, influentia cœlesti, obstructione vel coarctatione, in proprio suo receptaculo aut membro alio, ex debilitate expultricis attractricisvé virtutis robore facta, putredinem, virulentam malignitatem & corporibus humanis occupatisvé particulis noxias qualitates contrahit. Contingit autem interdum, ut hic humor substantia tenuis, sed quantitate auctus, cum sanguine in totum corpus feratur. Quod cum fit, efferuescit totum corpus: & primùm spiritus, deinde humores, tertiò carnosa membra, quartò solidiores particulæ febrili ardore inflammantur: inde cutis totius corporis flavo colore infici consuevit. Interdum verò hic humor per se, citra sanguinis admistionem, aliquam

quam particulam corporis humani suo fluxu imperit & occupat. Quæ cùm fuerit externa & cuti substrata, miliari herpete infestari conspicietur: idque tum præcipuè usu veniet, quando bilis substantia fuerit liquida & tenuis, qualitas verò neq; nimis fervens, neq; nimis acris. Exedens autem atque exhulcerans herpes fiet & cutis carnesque substratæ exhulcerabuntur, erodentur atq; consumentur, quando substantia bilis fuerit, crassa & qualitas fervidior atq; acrior, quàm ut talem fervorem acredinemq; membra affecta sustinere possint. Quando verò membra fuerint interna, tum bilis flava, intra vasa putrescens, continuas & ardentes febres excitabit, quas consequentur vigiliæ, inquietudo, ardores stomachi, siccitates faucium, asperitas & nigredo linguæ, immodica & fera sitis, λειπυρίαι, in quibus viscera inflammantur, torrentur & exsiccantur, externis partibus refrigeratis & rigore co-

 cus-

cussis, furores, pleuritis, peripneumonia, inflammatio & adustio epatis, biliosi ac æruginosi vomitus. Extra vasa cùm putredinem sentit hic humor, efficit tertianas febres, exquisitas quidem & citò ad statum properantes, quando humor peccans est sincerus & substantia mediocris ita, ne ex cruditate tenuitatem, neq; ex superassatione crassitiem habeat. Nothas verò, impuras & diu durantes febres, quæ tertio quoq; die exacerbationem ostendunt, fieri in corporibus humanis contingit, cùm huic humori adest pituita ex cruditate vel melancholia ex adustione. Sic, ubi sanguineus humor ei admiscetur, in externis membris erysipelata excitantur aliàs exquisita, quando humores per cutem diffusi carnes non attingunt, sed solam cutem inflammant: aliàs cōposita, quando cum cute etiam caro inflammatur, quod ob aliqualem humorum crassitiem fit, quæ humores collectos difflari prohibet. Sympto-

ptomatis verò differunt ratione humorum, qui cùm æqualem suam proportionem retinent, erysipelatis & inflammationis accidentia æqualiter se habent: Cùm verò prædominatur sanguis, inflammatio superat erysipelatis symptomata: sicuti erysipelatis accidentia, inflammationem ejusque symptomata præcellunt, cùm bilis flavæ quantitas & qualitas sanguini in fluxu prædominatur. In internis verò membris inflammationes & febriles ardores fiunt mitiores, quando sanguis huic humori admiscetur, quàm quando citra sanguinis admistionem bilis flava ferociter in membra corporis humani similaria vel organica agit. Hinc phrenesis ex bile, cui sanguis permistus est, non censetur periculosa, cùm symptomata non sæva morbum primarium sequantur: At illa phrenesis, quæ ex mera bile, cerebrum vel ejus involucra occupante, oritur, periculo nunquam vacare

ro cognoſcitur. Deprehenditur autem hæc ex ſymptomatibus, ut puta ira, furore, clamore, contentione, aſſiduo motu: ſicuti illa ex riſu, jocis, garrulitate faceta & ſimilibus ſymptomatibus. Sic καῦσ☉-, ardens, maligna & periculoſa febris ex viſcerum, videlicet cordis, pulmonum, jecoris aut ventriculi inflammatione tantò malignior & pernicioſior æſtimatur, quantò minus de ſanguine admiſtum flavæ bili advertitur, à qua iſtiuſmodi inflammationes febriles excitantur atq; foventur. Mitior verò febris exiſtimatur ac benigniora ſymptomata habet, in qua bilis flava aliquid de ſanguine vel pituitoſo humore adjunctum continet.

CAP. VI.

De cauſis externis morborum acutorum.

HVmores calidos, qui morbis acutis materiam & eſſentiã præbent, fre-

frequenter producunt causæ externæ, quæ similitudine naturæ & efficaciæ concurrunt atque conspirant in eundem effectum, scilicet in alterationem corporis humani aut aliquarum in eodem particularum, quæ aptæ sunt ad recipiendum effectum, quem causarũ externarum vis, multitudo vel diuturna mora intendunt, dum corporis humani sano temperamento contrariis viribus agunt & spiritus, humores, similaria membra instrumentavè tantisper afficiunt, donec læsæ actiones, quæ morbum fieri incipientem aut jam factũ produnt, sequuntur. Hæ causæ tantò facilius effectum suum producunt, quantò promptiùs à subjecti temperamento, ætate, regionis temperie & vivendi ratione juvantur: quantò etiam causarum agentium plures vel fortiores concurrunt justumq; agendi tempus habent. Sicuti autem duplicem materiam morborum acutorum esse in præcedenti capite ostendimus, nimi-

nimirum sanguineam & biliosam: ita in hoc capite ordine prosequemur causas externas, à quibus in corporib⁹ humanis istiusmodi humores producuntur. Sanguinem itaque in corpore humano copiosè generat caloris naturalis moderata & conveniens qualitas, dum ille secundum naturam se habet ac, mediante qualitate, tempestivè munia sua perficit. Vt autem calor naturalis in corpore humano substantialibus qualitatibus regulariter ac legitimo modo sese habeat actionesq; naturalis facultatis tempestivè & dextrè absolvat, plurimum momenti habet administratio rerum non naturalium, quæ quidem de substantia corporum humanorum non sunt, verum tamen ad eorum cõservationẽ quotidie adhibentur, cùm citra earundẽ usum nullum animans vita frui, nec dũ multo tẽpore vitæ mortalis munia agere valeat. Ex harum rerum numero obtinet primum locũ aer, in quo homines versantur.

Causæ externæ, quæ sanguinem generant.

Reverũ non naturalium legitimus usus quantum possit ad sanguinis generationem.

Qui

Qui si temperatus sit aut ad teporem naturæ humanæ gratũ inclinet, calorem naturalem in corporibus humanis mirum in modũ fovet atq; ita recreat, ut tẽpestivè & dextre coctiones cõvenientis alimenti perficiat, in omnibus membris nutritioni necessaria officia procuret & excrementa, quæ corpori animato oneri essent, nutritionem fieri prohiberent, morbis fomitem darẽt, eosq; generarent, producerent & exacerbarent, per ordinarias vias extra corpus nutriendum tempestivè recteque propellat. Quod quàm diu à calore naturali fit, animans benè se habet ac non solùm incolumitate membrorum organicorũ ac facultatum integritate fruitur: sed etiam ex laudabiliter confecto alimento optimi sanguinis copiam colligit. Qui quousq; consistentiam, quantitatem & qualitatem iustã retinet, amicissimus naturæ animantium succus est, neque quidquam noxæ corporibus humanis de sese gignit. Hoc fit tantisper, dum corp' hominis

Quàm diu sanguis statum sanitatis conservet.

minis bona sanaque temperie fruitur neq; spiritus aut humores virulentia venenosaque contagione aut noxiis qualitatibus inficiuntur, pori cutis aperti relinquuntur & instrumenta vasaq; sanguini continendo destinata, ab omni obstructione libera sunt. Tunc enim omnis fuliginositas per insensibilem corporum humanorum perspirationem, excernitur, nutritio laudabilis & excrementorum dejectio tempestiva fit. Quæ cùm propter pororum cutis coarctationem aut vasorum obstructionem impeditur, continuò aut febres putridæ & acutæ accenduntur aut sanguis copiosus virtutem vel vasa nimiùm adgravat, calorem naturalem coarctat & suffocat coctionesque illaudabiles efficit. Inde morborum acutorum chaos ingens, ob corporum humanorum & eorundem membrorum inæqualia temperamenta, diversos ætatum gradus, sexus discrimen, anni temporum varietates, regionum

Quando sanguis morborum causa existit.

qua-

qualitates, vivendi consuetudines, cœli constitutiones & particularum multitudinem, generatur. Porrò ex anni temporibus Ver benè temperatum efficit, ut ex alimentis assumptis calor naturalis plurimum boni sanguinis in corporibus humanis producat. Ætas autem pubescens, vegeta & libera si idoneo alimento tempestivè foveatur, & in regione temperata homo vitam agat, plurimum gignit boni sanguinis: Et omnes morbi, qui hominibus in illà ætate constitutis contingunt, ferè ex abundanti sanguinis copia oriri advertuntur. Interdum tamen homines hujus ætatis tam frigidis & pituitosis, quàm calidis ac biliosis morbis corripi, ob temperiem cœli & diætam inordinatam, mirum non est: cùm multos reperiamus homines istius ætatis, qui valetudinem bonam & incolumitatem virium, quæ magnum DEI benigni donum est, vili faciunt. Tantò autem efficacior est

aeris temperati, anni temporis & æ
tatis florentis vis ad productionem
sanguinei humoris, quantò meliùs a
caloris innati robur & qualitates atc
etiam bonam aeris temperiem cib
potusq; tum substantia, tum quali
tas & quantitas cum reliquis rebu
non naturalibus regulatur. Sicut
enim calor naturalis non valet ge-
nerare sanguineum humorem ex a-
limentis crassis, lentis & pituitosis au
frigidis siccis & melancholicis, et-
iamsi aeris bona temperies caloris
naturalis actiones juvet: ita ex ali-
mento, quod non tam substantia,
quàm qualitate convenienti idone-
um est generationi sanguineorum
humorum, si ejus quantitas tanta
assumatur, quantum calor naturalis
citra difficultatem conficere, altera-
re & in bonum sanguinem cõverte-
re valet, tantò laudabilior generatur
sanguis, quãtò calor naturalis prom-
ptiùs in assumptum alimentum a-
git; & quantò faciliùs temperata ae-
ris

ris qualitas caloris naturalis actiones promovet. Usus itaque creber ac diuturnus alimentorum temperatorum & non modò substantia friabilium, sed etiam qualitate calidorum & humidorum, qui à calore naturali facilè confici, optimè alterari & in sanguinem bonum converti possunt, neque instrumenta, naturalis facultatis actionibus destinata, superfluis aut excrementitiis humiditatibus replent, neq; calorem naturalem in functionibus suis impedit, sed juvat & corpora humana sanguine bono infarcit. Hujus generis alimenta non tam quantitate, quàm qualitate à nobis medicis æstimantur eam ob rem, quòd qualitate aliena ac sanguinis generationi inepta perinde, ut nimia quantitate assumpta, caloris naturalis actiones tardare & impedire, deinde etiam sanguine pituitoso, bilioso vel melancholico corpora humana replere advertuntur. Alimentorum bonorum medio-

Vini moderati usus commendatur.

crem & commodum usum ad sanguinis generationem provehendam, quam à calore naturali, benè temperato & præsidiis aeris ambientis bellè munito, fieri diximus, admodum cōmendat vini boni, defæcati & mediocris tum ætatis, tum efficaciæ temperatus usus. Illud enim corpora calefacit, alimenta liquat & suctionem, quæ per venas mesaraicas ad epar fit, provehit: calorem etiam naturalem roborat, & ejus actiones juvat, ut alimenta assumpta laudabiliter ab eo confici, nutritio optimè fieri & justa sanguinis copia in corpore generari possit: Sicuti immoderatum ejus usum coctiones impedire, calorem naturalem obtundere & suffocare, totum corpus refrigerare, cruditatibus & pituitosis superfluitatibus membra instrumentalia replere, robur virium enervare & frigidis Chronicisq; morbis originem præbere fœcundam suprà dictum est. Aromata etiam moderatè calefacientia, si cibis

Immoderatus vini usus nocet.

Cap. 4.

condi-

condimenti gratiâ, in legitima proportione admiſceantur, caloris naturalis vires augent, & ejus intentiones juvant, maximè in iis corporibus, quæ aut otio indulgent, aut pituitoſis alimentis crebrò utuntur, aut certè bonis cibis ad ſatietatem corpora infarciunt. Hanc caloris naturalis operationem, quæ circa alimentorum coctionem in corporibus humanis contingit, mirificè juvat ſomnus moderatus, qui non ultra ſpacium novem horarum nocturno tempore fit in conclavi, cujus aer temperatus eſt, corpore mollibus tegumentis benè munito. Tempore enim ſomni calor naturalis in internis membris, tanquam in centro, colligitur & roboratus meliùs agit in alimentum aſſumptum, quod nutrimentum univerſo corpori præſtare debet, quàm tempore vigiliarum facit. Dum enim vigilant homines, calor naturalis diſpergitur per omnia totiꝰ corporis membra, & in iis tum munia vitæ conver-

sationiq; hominum necessaria peragit, tum coctionem distributionemque nutrimenti & excretionem superfluitatum administrat, ut alimenta assumpta in nutritivis membris non ita conficiat, neque in laudabile nutrimentum cővertat, sicut tempore somni facere solitus est. Corpora præterea, quæ antè cibi boni, convenientis & quantitate tolerabilis assumptionem moderatis exercitiis aut labori non nimis gravi, neq; nimis longo, neq; nimis molesto indulgent, plus sanguinis boni intra se congregant, quàm ea, quæ nimio otio & delicata vivendi consuetudine torpent. Etsi enim otia corpus alunt & animum vegetum reddunt æquè ac moderatus labor non parum robori corporis atq; animi nocere advertitur: tamen corpora humana plus commodi hauriunt ex moderatis exercitiis, tempestivè & legitimè susceptis atq; peractis, quàm ex continuo otio. Hoc enim refrigerat

Suprà cap. 1.

rat corpus & ad omnia munia ineptum reddit: Illa verò calorem naturalem instaurant, humorum coctionem laudabilem efficiunt, membris omnibus robur addunt, incolumitatem virium conservant & sanguinem bonum in justa substãtia, quantitate atque qualitate à calore naturali generari faciunt: Sanguinem etiam in magna copia produci & redundare contingit in iis corporibus, quæ ἔγχυμα & succulenta secundum temperiem, in prima sua generatione æqualiter factam, sunt & laudabili nutrimento tempestivè legitimeq; non tantùm utuntur, sed etiam in regione temperata agunt & cùm tempestivis exercitiis, tum somno cõvenienti indulgent, quando rarò aut nunquam inanitionũ genera admittunt, neq; tamen cibo aut potu corpora nimiùm replent, sed mollibus frictionibus tempestivè & crebrò, ut & balneis aquæ dulcis legitimo modo & tẽpore utuntur: immodica Venere

nunquam corpus enervant, neque ea intempestiva vires caloris naturalis dissipant: illi verò legitimæ & concessæ indulgent parcè, quantum nimirum ad sobolis propagationem de speciei conservatione provida natura, & non ad lascivæ libidinis satietatem, humano generi concesit. His si accedant rebus animi affectus tranquilli, sereni, securi & cum moderata interdum lætitia misti: mirum in modum calorem naturalem augeri, dilatari & roborari continget, quæ res faciet, ut boni sanguinis copia ex alimentis assumptis quotidie debitum crementum in corporibus humanis accipiat. Magnam autem efficacemque vim esse affectibus humanorum ingeniorum in hunc corporum humanorum humorem disertè tum Medici, tum Philosophi omnes affirmant. Quæ res non immeritò admirationem movit Plinio, qui de sanguinei humoris multifaria mutatione, quam affectus animorum inducunt,

Infrà lib. 5. cap. 1.

cunt, Lib. 11. Natura: historiæ Cap. 38. ita scribit: Sicut in homine vim sanguinis ad minima momenta mutari diximus, non modò tantò minore suffusi materia, verùm ad singulos animi habitus, pudore, ira, metu, palloris pluribus modis, item ruboris. Alius enim iræ & alius verecundiæ. Nam & in metu refugere & nusquā esse certum est: multisq; non transfluere transfossis, quod homini tantùm evenit. Nam quæ mutari diximus, colorem alienū accipiunt quodam repercussu: homo solus in se mutat. Morbi omnes morsq; sanguinem absumunt. Qui humor donec suam substantiam in crassitie & tenuitate mediocrem retinet: neque quantitate nimia augetur, neq; diminuitur adeò, ut defectus ejus in corpore humano sentiatur, neque qualitate supra debitum modum effervet: neque plus justo refrigeratur, quàm corporis humani ingenita vel adquisita temperies sustinet, nihil noxæ in-

strumentis infert, sed horum æquè ac facultatum essentias actionesque illæsas præstat. Vt primùm verò ejus consistentia fit tenuior, quàm convenit corpori humano, statim fluxiones noxiæ, quæ morbis acutis materiam præbent, excitantur: sicuti crassior sanguis obstructiones facit, unde putredines & morbi acuti originem sumunt. Sic nimia ejus quantitas aliàs naturæ vires onerat: aliàs vasa tendit & comprimit: aliàs imperium naturæ excutit & in particulas instrumentales æquè ac similares cũ impetu irruit, unde varia & non tantùm acuta mala, sed etiam adeò periculosa, ut, nisi maturè dextreq; iis occurratur à perito medico, morbi incurabiles fiant & æger certissimo vitæ periculo obnoxius reddatur, oriri sæpenumerò cõtingit. Ejus verò defectus quantum malorũ in corporibus humanis gignat, iis tantùm notum est, quos non latet temperamenti essentiam, facultatum robur & spirituum sub-

Fluxionum causa naturalis.

Obstructiones unde fiant.

Nimia sanguinis quantitas quomodò noceat.

Defectus sanguinis quid faciat.

substantiam beneficio sanguinei humoris in corporibus humanis conservari & in incolumitatis statu permanere, dū penè omnia totius corporis humani membra sanguinis adminiculo ad sui nutritionem & cōservationem indigent. Qualitas deniq; sanguinis nimis calida, effervescens & acris: aut nimis frigida, torpens & lenta corporib⁹ humanis acutos morbos afferre quòd soleat, testantur humorum sanguineorū putredines in febribus pestilentialibus & ardentibus, atq; inflammationes, furores & erysipelata in membris, ad quæ hic humor ob fervorem in impetu fertur. Apoplexia item, torpor, carus & alia mala, quæ ob vehementiam symptomatum inter acutos morbos numerantur, ex sanguineo humore, nimis refrigerato, fœcundam materiam habent. Medicamenta denique calefacientia, quibus calor naturalis recreatur, fovetur & adjuvatur, si crebrò & dextrè usurpentur, non minimum auxilii præ-

Qualitates sanguinis præternaturales quid noxæ dent.

præstant calori naturali, ut ex alimentis assumptis multa sanguinis copia in corporibus humanis generetur. Sive enim extrinsecùs ventriculo vel epati apponantur, sive universo corpori affricentur, sive denique intra corpus convenienter sumantur, suis qualitatibus manifestis vel occultis viribus opera caloris naturalis excitant & juvant, ut promptiùs ille in alimenta assumpta agat, expeditiùs eadem conficiat & in bonum sanguinem convertat. Atq; hæc de caussis externis, quæ faciunt, ut in corporibus humanis sanguinis boni copia superflua colligatur, dicta sufficiant. Iam tempestivum est, ut etiam persequamur ordine occasiones & causas externas, propter quas in multorum hominum corporibus major interdum biliosi, calidi & acris humoris copia, quàm constitutio, temperamentum, instrumenta & facultates corporis humani ad suæ essentiæ, temperici, facultatum & actionum

Causæ externæ, à quibus biliosi humores in corporibus humanis generantur.

num integritatem incolumitatemq; requirunt, colligitur. Earum prima est aeris ambientis hominum corpora qualitas calida & sicca, quæ vel secundum anni cursum à natura per Solis radios in aere excitatur & per Æstatis tempora durat, vel arte & studio hominum in contuberniis aliquamdiu alitur. Hujusmodi enim qualitates meatus cutis in corporibus humanis relaxant, corpora exiccant caloremque naturalem acrem reddunt, ut suo fervore & acrimonia humores corporis humani inflammet & inbilem convertat. Ad hanc causam referuntur primò ætas juvenilis, quæ biliosarum superfluitatum magnam copiam secundum naturam colligit, siquidem illa ætate hominum corpora durescere & in solidis particulis robur, reliquæ ætati sufficiens, assumere debent; deinde AEstatis constitutio naturalis, quæ calida & sicca temperie fruges coquere & ad maturitatem perducere

cogi-

cogitur: atq; dum facit hæc, etiam in corpora humana vim suam extendit, humorum per Veris tempus collectorum copiam exugit, membra similaria exiccat, calorem naturalem acribus qualitatibus instruit, humores inflammat, torret atq; exurit, ut caliditatem igneam & acredinem manifestam adquirant: tertiò igneorum & siccorum syderum efficaciæ, in inferiora corpora transmissæ, ut evidenter effectus suos ostendant: quartò regio, quæ exposita est ventis orientalibus. Illa enim ut plurimùm in aere habet qualitatum calidarum & siccarum dominium, quæ ad productionem biliosorum humorum multum momenti habent. Dum enim pori cutis istiusmodi aeris constitutione laxantur & plus de humoribus evaporat, quàm naturæ corporum humanorum conveniens ac salubre est: minus verò alimenti apponitur eam ob rem, quòd caloris naturalis vires sunt dispersæ, neq; tantum alimenti

menti conficere valent, quantum ad restitutionem ejus, quod per insensibilem perspirationem penè singulis momentis corporibus animatis decedit, requiritur: necessariò substantia humorum, quibus corpora humana nutriuntur & vires instaurantur, exiccatur & calidam acremq; qualitatem adquirit. Secunda causa est frequens usus alimentorum, quæ ratione suæ substantiæ qualitatisq; cum biliosis humoribus participant & facultate calefaciendi atq; siccandi calorem naturalem incendere, humores inflammare & membra similaria calefacere atq; exiccare possunt. Ad hanc causam commodè etiam refertur voluntaria abstinētia à cibo & potu: vel necessaria, ut tēpore indigentiæ & famis evenit. Quādo enim minus alimēti assumitur, quàm ad corporum nutritionem necesse est, tum calor naturalis pabulo, quo fovetur, dum illud in naturalibus membris conficit, destituitur. Effervescit itaq;
&,

&,quidquid humorum provida natura ad vitæ conservationem reposuit thesaurique loco reservavit, invadit, coquit, absumit & exiccat, ut in meram bilem convertatur. Quod facilè animadvertitur ab iis, qui inediam præter cõsuetudinem, aliquando officii aut itineris causâ sustinere solent. Tertia causa, quæ biliosorum humorum majorem copiam in corporibus humanis producit & colligit, quàm secundum naturale tempeperamentum in iis esse consuevit, dum sanitare fruerentur, adscribitur tum somno longo, qui jejuno ventriculo fit, tum vigiliis & curis immodicis, quæ spiritus inflammant humoresq; & solida membra exiccant. Calor enim naturalis velut in externis membris tempore vigiliarum retentus non poteſt in naturalibus membris alimentum conficere, sed exiccat humidum radicale & naturale in similaribus membris, quam exiccationem biliosa corporis constitutio

tio sequitur: ita tempore somni collectus intra corpus fortiter agit in humores & nimia coctione eos in bilem convertit. Quarta causa est durus labor atq; exercitia crebra, vehementia & longa, præsertim quæ fiunt jejuno ventriculo in Æstate sub Sole, aut aliàs in loco, cújus aer conclusus qualitate calida & sicca prævalet. Tantò autem efficacior est hæc causa ad productionem biliosorum humorū in corporibus humanis, quantò plures causæ de externis eam adjuvant causis, nimirum si abstinentia cibi & potus, ætas fervens, anni tempus calidum & siccum, curæ & vigiliæ, evacuationes crebræ pituitosorum sanguineorumq; humorum atq; acrium ciborum usus ad temperiem corporis biliosam accedant. Quinta causa est crebra & multa inanitio, sive illa fiat per multam aut frequentem venarum inanitionem, hæmorrhoidum mensiumve apertionem & fluxum, immodicam, frequentem, in-

cõvenientem & intempestivam purgationem, quæ subducit humanorũ copiam, quæ bilem ferocientem reprimere & temperare possent, sicuti fit ab imperitis medicastris, quorũ in ore & calamo vulgatum illud & jam dudum optimorum medicorum consensu explosum theorema est, quòd unum idemq; medicamẽtum, cui facultas purgandi inesse experientia probavit, quemlibet humorẽ in corpore humano movere & per idoneas excretionum vias educere valeat: multam item urinæ dejectionem, vel per nimis frequentem Veneris, balnei sudoriferi, thermarum bituminosarum, aluminosarum, nitrosarũ, sulphurearum, salsarum & marinarum usum. His inanitionum generibus à medicis insensibilis corporũ humanorum perspiratio, cõtinuus substantiæ in corporibus humanis fluxus, medicamentorum calefacientiũ, siccantium, incidentium, tenuantium, discutientium & dissipantium, veluti

Gal. lib. de atra bile cap. 6. dicit erroneam juniorum medicorum sententiã. lib. Hipp. de Nat. hu. part. 29. 30. 31. Mes. lib. Can. cap. 2. Hali Abbas lib. 1. Theo. cap. 25. lib. 1. prax. cap. 27. lib. 3. Prax. cap. 10.

veluti & aromatum calefacientium & ſiccantium, multa, crebra & longa exhibitio, multus à vacuatione, quocunque modo peracta, ſomnus, larga ſudoris profuſio, multa & ſudorifica frictio, longum jejunium & nimia temperantia adnumeratur. Hæc enim omnia calorem naturalem inflammãt, humores incendunt, membra ſimilaria exiccant & biliosorum humorum copiam in corporibus humanis producunt. His cauſis accedunt iracundia, furor, ſolicitudo, anxietas, clamoſa contentio & ſimiles animi affectus, qui calorem naturalem intendunt, humores aſſant & membra inſtrumentalia ſimilariaque exiccant. Hæ enim animorum paſſiones plurimum momenti habent ad bilioſorum humorũ in corporibus humanis productionem, qui morbis acutis fœcundam materiam & fomitem præbent.

LIBER SECVNDVS

DE RATIONE CVRANDI HOMINVM MORBOS PER BONAM DIÆTAM.

CAP. I.

Multorum hominum naturas abhorrere à medicamentis.

MOrborum Chronicorum & Acutorum causas tum internas, quæ morbi essentiam constituunt: tum externas, quæ affectionum occasiones sunt, diligenter enumeravimus. Quas prudenter cognoscere & dextrè auferre medici docti, solertis & exercitati est, qui fideliter morbis mederi & languentes homines in sanitatis atq; incolumitatis statum reducere omni conatu laborat. Præcipuum

Officium medici.

puum enim est officium medici eruditi & probè in methodo cognoscendi auferendiq; morborum causas exercitati moliri commodam ablationem eorum, quæ naturæ humanæ in corporibus ægris nocere & actiones facultatum impugnare advertit: atque additionem eorum, quorū defectu corpora in ægritudinem incidisse cognoscuntur. In hoc cardine salus morbis afflictorum hominum & medici industrii felicitas potissimùm versatur. Nam sicuti, positis causis sufficientibus & sat validis ad agendum, in subjecto, ad actum recipiendum prædisposito, effectum earum sequi necesse est, etiamsi pro varia subjectorum dispositione neque una eademq; effectuum forma: neq; eadem morborum, ex iisdem causis provenientium, malignitas: neq; symptomatum vehementia sit: Ita ablatis causis, effectus earum cessant & morbi, qui eò usque corporibus humanis molestiam inferunt, donec causæ à

Posita causa sequitur effectus.

Ablata causa, tollitur effectus.

quib, originē traxerunt, eos fovent, dextrè perfecteque curantur, ut integritas virium & actionū in corpora humana vicissim redeat. Quando enim auferuntur causæ internæ & latentes, quæ morborum essentiam constituunt atque adhuc fovent: & causæ externæ, quæ internas irritarunt & morborum etiam sobolem produxerunt, mutantur: statim corpus languidum meliùs habere & incolumitatem pristinasque vires recipere incipit. Hanc causarum ablationem celerrimè & expeditissimè fieri per medicamenta idonea atque bonam victus rationem eruditi ac exercitati medici norunt. Sed plurimorū hominū natura adeò est delicata & timida, ut ab omnium medicamentorum, quæ intra corpus sumi consueverunt, usu abhorreat: & multi reperiuntur homines, qui non modò malunt extrema in morbis pati, sed & mortē, tanquam malum melius, præoptant, quàm ut medicamentorum

torum salubrium assumptione, sicuti iidē errore persuasi censent, torqueri velint. Solent proinde prudentes medici apud ejusmodi ægros, omissa medicatione, animum suum in eam curā cōvertere, quomodò per bonam & laudabilem diætam causæ morborū evertantur & fomes essentialisq; morborum materia, à qua facultatum instrumentorumq; læsiones & actiones depravatæ dependent, dextrè expediteq; subducatur, cōsumatur, dissipetur ac prorsùs auferatur. Quod in ejusmodi hominum corporibus, quorum natura admittit medicamētorum operationes, facilè & salubriter fit, si modò ad bonā cōvenientemque victus rationem rectus & tempestivus idoneorum medicamentorum usus, ductu ac monitu eruditi, prudentis exercitatiq; medici, accedat. In eorum verò hominum morbis, quorum natura aversatur medicamenta, quæ intra corpus sumuntur, paulatim & interventu alicujus temporis morborum,

Meliùs ac citiùs curari homines, qui idonea medicamenta admittunt, quàm eos, qui ab eorum usu abhorrent.

 rum,

rum, præsertim tamen eorum, qui Chronici sunt & materias frigidas habent, causas internas tum idonea victus ratione, tum externorũ præsidiorum, quæ causæ morbi, ipsi morbo & symptomatibus vel uni eorum, cujus ablatio præcipuè urgetur, conveniant, applicatione alterare, coquere, præparare & ablationem earum tentare necesse est. Alimentorum enim atq; externorum medicamentorum efficacia non est tam valida, neq; tam præsentis operationis, atq; sunt facultates idoneorum medicamentorum, quæ pro diversa eruditorum medicorũ intentione, quam morbi cura requirit, ægris hominibus intra corpus dantur. Et cùm in medicationibus temerè nunquam festinandũm esse prudẽtes medici censeant, quando morborum causæ internæ concoqui & auferri necessariò debent: sed præcipiant, ut potiùs medicationem aliquoties iteremus, præsertim in curatione eorũ hominum, quo-

Alimentorũ & externorum pharmacorum operatio debilior, quàm intra corpus sumẽdorum medicamentorum.

In medicatione & diæta nunquam festinãter procedendum.

quorum vires à vehementia vel etiam diuturnitate morbi proſtratæ magnam debilitatem oſtendunt,neq; facilè, ſi ampliùs medicatione dejicerentur, refici poſſe advertuntur, quã uno impetu medicationis morbos expugnare conemur. Ipſis enim probè notum eſt id tutum eſſe, quod paulatim fit: & omnem ſubitam mutationem periculo nunquam vacare: eam verò periculoſiſsimam, quæ repentè in contrarium ducit: Ideo in curatione morborum, quæ bona victus ratione perfici in iis hominum corporibus debet, qui à medicatione, quæ per pharmacorum internorum uſum fit,abhorrent,neutiquam feſtinanter procedendum: ſed advertendæ ſunt vires & operationes naturæ, quam imitari & non prævertere cogimur, quoties & quando materierum morbificarum præparatio, alteratio, expugnatio & ablatio vel conſumptio per laudabilem vivendi rationem fieri debet. Præter hæc mul-

&,quidquid humorum provida natura ad vitæ conservationem reposuit thesaurique loco reservavit, invadit, coquit, absumit & exiccat, ut in meram bilem convertatur. Quod facilè animadvertitur ab iis, qui inediam præter cōsuetudinem, aliquando officii aut itineris causâ sustinere solent. Tertia causa, quæ biliosorum humorum majorem copiam in corporibus humanis producit & colligit, quàm secundum naturale tempeperamentum in iis esse consuevit, dum sanitare fruerentur, adscribitur tum somno longo, qui jejuno ventriculo fit, tum vigiliis & curis immodicis, quæ spiritus inflammant humoresq; & solida membra exiccant. Calor enim naturalis velut in externis membris tempore vigiliarum retentus non potest in naturalibus membris alimentum conficere, sed exiccat humidum radicale & naturale in similaribus membris, quam exiccationem biliosa corporis constitutio

tio sequitur: ita tempore somni collectus intra corpus fortiter agit in humores & nimia coctione eos in bilem convertit. Quarta causa est durus labor atq; exercitia crebra, vehementia & longa, præsertim quæ fiunt jejuno ventriculo in Æstate sub Sole, aut aliàs in loco, cujus aer conclusus qualitate calida & sicca prævalet. Tantò autem efficacior est hæc causa ad productionem biliosorum humorũ in corporibus humanis, quantò plures causæ de externis eam adjuvant causis, nimirum si abstinentia cibi & potus, ætas fervens, anni tempus calidum & siccum, curæ & vigiliæ, evacuationes crebræ pituitosorum sanguineorumq; humorum atq; acrium ciborum usus ad temperiem corporis biliosam accedant. Quinta causa est crebra & multa inanitio, sive illa fiat per multam aut frequentem venarum inanitionem, hæmorrhoidum mensiumve apertionem & fluxum, immodicam, frequentem, in-

cõvenientem & intempestivam purgationem, quæ subducit humanorũ copiam, quæ bilem ferocientem reprimere & temperare possent; sicuti fit ab imperitis medicastris, quorũ in ore & calamo vulgatum illud & jam dudum optimorum medicorum consensu explosum theorema est, quòd unum idemq; medicamẽtum, cui facultas purgandi inesse experientiâ probavit, quemlibet humorẽ in corpore humano movere & per idoneas excretionum vias educere valeat: multam item urinæ dejectionem, vel per nimis frequentem Veneris, balnei sudoriferi, thermarum bituminosarum, aluminosarum, nitrosarũ, sulphurearum, salsarum & marinarum usum. His inanitionum generibus à medicis insensibilis corporũ humanorum perspiratio, cõtinuus substantiæ in corporibus humanis fluxus, medicamentorum calefacientiũ, siccantium, incidentium, tenuantium, discutientium & dissipantium, veluti

Gal. lib. de atra bile cap. 6. dicit erroneam juniorum medicorum sententiã. lib. Hipp. de Nat. hu. part. 29. 30. 31. Mes. lib. Can. cap. 2. Hali Abbas lib. 1. Theo. cap. 25. lib. 1. prax. cap. 27. lib. 3. Prax. cap. 10.

veluti & aromatum calefacientium & ſiccantium, multa, crebra & longa exhibitio, multus à vacuatione, quocunque modo peracta, ſomnus, larga ſudoris profuſio, multa & ſudorifica frictio, longum jejunium & nimia temperantia adnumeratur. Hæc enim omnia calorem naturalem inflammāt, humores incendunt, membra ſimilaria exiccant & biliosorum humorum copiam in corporibus humanis producunt. His cauſis accedunt iracundia, furor, ſolicitudo, anxietas, clamoſa contentio & ſimiles animi affectus, qui calorem naturalem intendunt, humores aſſant & membra inſtrumentalia ſimilariaque exiccant. Hæ enim animorum paſſiones plurimum momenti habent ad biliosorum humorū in corporibus humanis productionem, qui morbis acutis fœcundam materiam & fomitem præbent.

LIBER SECVNDVS

DE RATIONE CVRANDI HOMINVM MORBOS PER BOnam Diætam.

CAP. I.

Multorum hominum naturas abhorrere à medicamentis.

MOrborum Chronicorum & Acutorum causas tum internas, quæ morbi essentiam constituunt: tum externas, quæ affectionum occasiones sunt, diligenter enumeravimus. Quas prudenter cognoscere & dextrè auferre medici docti, solertis & exercitati est, qui fideliter morbis mederi & languentes homines in sanitatis atq; incolumitatis statum reducere omni conatu laborat. Præcipuum

Officium medici.

puum enim est officium medici eruditi & probè in methodo cognoscendi auferendiq́; morborum causas exercitati moliri commodam ablationem eorum, quæ naturæ humanæ in corporibus ægris nocere & actiones facultatum impugnare advertit: atque additionem eorum, quorũ defectu corpora in ægritudinem incidisse cognoscuntur. In hoc cardine salus morbis afflictorum hominum & medici industrii felicitas potissimùm versatur. Nam sicuti, positis causis sufficientibus & sat validis ad agendum, in subjecto, ad actum recipiendum prædisposito, effectum earum sequi necesse est; etiamsi pro varia subjectorum dispositione neque una eademq́, effectuum forma: neq; eadem morborum, ex iisdem causis provenientium, malignitas: neq; symptomatum vehementia sit: Ita ablatis causis, effectus earum cessant & morbi, qui eò usque corporibus humanis molestiam inferunt, donec causæ à qui-

Posita causa sequitur effectus.

Ablata causa, tollitur effectus.

quib, originẽ traxerunt, eos fovent, dextrè perfecteque curantur, ut integritas virium & actionũ in corpora humana vicissim redeat. Quando enim auferuntur causæ internæ & latentes, quæ morborum essentiam constituunt atque adhuc fovent: & causæ externæ, quæ internas irritarunt & morborum etiam sobolem produxerunt, mutantur: statim corpus languidum meliùs habere & incolumitatem pristinasque vires recipere incipit. Hanc causarum ablationem celerrimè & expeditissimè fieri per medicamenta idonea atque bonam victus rationem eruditi ac exercitati medici norunt. Sed plurimorũ hominũ natura adeò est delicata & timida, ut ab omnium medicamentorum, quæ intra corpus sumi consueverunt, usu abhorreat: & multi reperiuntur homines, qui non modò malunt extrema in morbis pati, sed & mortẽ, tanquam malum melius, præoptant, quàm ut medicamentorum

torum salubrium assumptione, sicuti iidē errore persuasi censent, torqueri velint. Solent proinde prudentes medici apud ejusmodi ægros, omissa medicatione, animum suum in eam curā cōvertere, quomodò per bonam & laudabilem diætam causæ morborū evertantur & fomes essentialisq; morborum materia, à qua facultatum instrumentorumq; læsiones & actiones depravatæ dependent, dextrè expediteq; subducatur, cōsumatur, dissipetur ac prorsùs auferatur. Quod in ejusmodi hominum corporibus, quorum natura admittit medicamētorum operationes, facilè & salubriter fit, si modò ad bonā cōvenientemque victus rationem rectus & tempestivus idoneorum medicamentorum usus, ductu ac monitu eruditi, prudentis exercitatiq; medici, accedat. In eorum verò hominum morbis, quorum natura aversatur medicamenta, quæ intra corpus sumuntur, paulatim & interventu alicujus temporis morbo-

Meliùs ac citiùs curari homines, qui idonea medicamenta admittunt, quàm eos, qui ab eorum usu abhorrent.

rum, præsertim tamen eorum, qui Chronici sunt & materias frigidas habent, causas internas tum idonea victus ratione, tum externorũ præsidiorum, quæ causæ morbi, ipsi morbo & symptomatibus vel uni eorum, cujus ablatio præcipuè urgetur, conveniant, applicatione alterare, coquere, præparare & ablationem earum tentare necesse est. Alimentorum enim atq; externorum medicamentorum efficacia non est tam valida, neq; tam præsentis operationis, atq; sunt facultates idoneorum medicamentorum, quæ pro diversa eruditorum medicorũ intentione, quam morbi cura requirit, ægris hominibus intra corpus dantur. Et cùm in medicationibus temerè nunquam festinandũm esse prudẽtes medici censeant, quando morborum causæ internæ concoqui & auferri necessariò debent: sed præcipiant, ut potiùs medicationem aliquoties iteremus, præsertim in curatione eorũ hominum, quo-

Alimentorũ & externorum pharmacorum operatio debilior, quàm intra corpus sumẽdorum medicamentorum.

In medicatione & diæta nunquam festinãter procedendum.

quorum vires à vehementia vel etiam diuturnitate morbi proſtratæ magnam debilitatem oſtendunt,neq; facilè, ſi ampliùs medicatione dejicerentur, refici poſſe advertuntur, quã uno impetu medicationis morbos expugnare conemur. Ipſis enim probè notum eſt id tutum eſſe, quod paulatim fit: & omnem ſubitam mutationem periculo nunquam vacare: eam verò periculoſiſsimam, quæ repentè in contrarium ducit: Ideo in curatione morborum, quæ bona victus ratione perfici in iis hominum corporibus debet, qui à medicatione, quæ per pharmacorum internorum uſum fit,abhorrent,neutiquam feſtinanter procedendum: ſed advertendæ ſunt vires & operationes naturæ, quam imitari & non prævertere cogimur, quoties & quando materierum morbificarum præparatio, alteratio, expugnatio & ablatio vel conſumptio per laudabilem vivendi rationem fieri debet. Præter hæc mul-

ti homines medicationem in curationibus morborum admitterent, nisi plurimæ causæ, quas hoc loco recensere necesse non est, cùm alterius argumenti sint, usum intra corpus sumendorum pharmacorum quandoq; impedirent. In quo ægrorum statu nihilo minùs medicum prudentem oportet uti consilio & dexteritate, ut morbis alia, quàm medicatione, via occurratur & sanitas ægris hominibus restituatur.

CAP. II.

Præcipuum esse medicorum studium, ut per idoneam vivendi rationem morbos in humanis corporibus curent.

IN studio conservandæ & restituendæ sanitatis laborarunt optimi & clarissimi quiq; tum Philosophorum, tum Medicorum, ut nimirum uti-

utilibus inventis plurimum usui humanæ conversationi essent. Diversis tamen viis ac rationibus scopum sui instituti contingere conati sunt. Alii enim victu idoneo morbos arcere: alii medicamentis hostes vitæ & incolumitatis humanæ profligare: alii manuum operatione sanitatem ægis hominum corporibus restituere: alii amuletis id ipsum præstare enixè studuerunt. Antiquissimi verò & eruditione celeberrimi tam Philosophi, quàm Medici, felici divinorum ingeniorum acumine freti, universam naturam contemplationi suæ subjicere & rerum tum substantias, tũ qualitates & effectus scrutari, saluti humanæ & usibus vitæ mortalis prudenter legitimeque accommodare conati sunt. Hi enim existimarunt universam medicinam mancam, imperfectam & inutilem humano generi sine cognitione naturæ, qualitatum & facultatum in iis rebus, quarum usu ad vitæ

Docti viri diversis intentionibus sanitati hominum servire studuerunt.

Medicos alimenta & medicamenta indagasse, quibus incolumitas hominum conservatur.

vitæ valetudinisq; conservationem quotidiana hominum conversatio maximè opus habet. Cùm itaq; experimenta, quibus, tanquam Antidotis, uterentur adversus vitæ incolumitatisq; humanæ hostes, in corpora vitalia grassantes, inventu difficilia essent, nisi rectum rationis judicium rerum substantias, qualitates & efficaces vires antè proba diligentique contemplatione excuteret: deinde legitimo modo & tempore inventa medicamenta administraret: eorumque vim & efficaciam longus usus, omnium artium magister, citra hominum periculum confirmaret: maluerunt iidem aut alimentis finem, quem intendebant, consequi, aut ejusmodi medicamentis, quæ non multum ab alimentorum salubrium facultate abesse & cum naturali corporum humanorum temperamento quandam familiaritatem habere cognoscebantur. Qua de re extat saluberrimum apud Platonem in Timæo Lib. 32.

præ-

præceptum, quod neutiquam concedere videtur, ut morbi, nisi periculosissimi sint, pharmacis irritentur. Imò præcipit, ut tum morbi benigni mitesq; diligenti victus ratione corrigantur & gubernentur, ut ad salutarem exitum perveniant, prout cuiq; otium & occasio datur, tum in difficilibus & periculo mortis haudquaquam vacantibus morbis non temerè pharmacia utamur. Pharmacorum enim multorum vis atq; facultas aliquo modo naturæ humanæ resistit & facultatibus instrumentorum noxia est, præsertim eorum pharmacorum, quæ sua efficacia virtutes naturales tentant & materias noxias extra corpus ducunt. Quod nisi ita esset, nunquam virtutes retentrices, coctrices & expultrices corporum humanorum commoverent ad coctionem & expulsionem eorum, quæ instrumentis ac facultatibus noxia sunt & actiones vitæ incolumitatisq; necessarias modò impediunt, modò omni-

Plato vult morbos mites diæta curari: & malignos pharmacis neutiquam irritari.

Medicamenta naturæ corporũ humanorum ferè adversantur.

omninò auferunt, modò depravant, pro causarum agentium multitudine & robore æquè, ac particularum affectarum substantia, temperie, facultate, viribus, sensu, figura, situ & actionibus. Hæc enim in particulis affectis conservari: & noxia molestantiaq; ab illis removeri debent. Quare talia medicamenta iis conveniunt, quæ ratione actionum in mutuum cum facultatibus particulæ sanæ cõsensum declinant, etiamsi interdum habeant vel contrarias vel excellentiores qualitates, quàm in loco affecto secundum naturam temperies esse solet. Cùm itaque experientia in medicamentis sit admodùm difficilis & non rarò periculosa: prudentes medici talibus semper uti maluerunt remediis, quæ à natura & cõsuetudine corporum humanorum non longè absunt, quàm temerario consilio aliquid circa corpora humana in morborum curatione tentare, quod vitæ & valetudini hominum noxam

Experimentum difficile & periculosum.

noxam inferret, si citra eruditæ & experientia confirmatæ mentis sufficientem deliberationem adhiberetur. Hinc commune ἀξίωμα medicorum celeberrimorum est, ut initio curationem morborum tentemus levibus medicinis, quæ classem alimentorum ratione suæ efficaciæ non excedunt; aut certè ab eorum natura non longè absunt: Atque his, quarum facultas mitis est, nihil in corporibus ægrorum hominum proficientibus, demum ad præsidia validiora & veram medicationem nos convertamus. Idem etiam præceptum in victus ratione præscribenda ægris hominibus plurimum momenti habet. Primò enim mitibus humanorum corporum in sanitatis statum restitutionem tentare debemus præsidiis, quæ morbo & causæ morbi levi qualitatum robore contraria sint & cum temperamento corporis curandi vel læsæ particulæ naturali consensum habeant. His

Mitibus medicamentis curatio incipienda.

Quando valida remedia locũ habent.

Mitibus alimentorum facultatibus initio utendum.

His si morbus expugnari posse videatur, tutò tantisper utemur, dum omnis morbi causæque internæ vis & noxa abigatur cupitaq; sanitas redeat: Deinde, cùm animadvertimus, morbi vim tantam & causæ internæ multitudinem malignitatemq; adeò magnam esse, ut ad levium præsidiorum adhibitionem nihil remittere velit, consultò diætæ, quæ naturali & sano hominis temperamento consentiat, & morbo, causæ morbificæ symptomatibusvé contraria sit, majorem efficaciam adhibebimus, neq; de ejus usu antè remittemus, quàm morbum victum causasque morbi, quæ intra corpus latent, expugnatas cognoverimus & sanitatis pristinæ statum æger homo paulatim receperit. Quæ victus ratio optima & saluberrima est in morbis Chronicis, qui inducias dant medico ad consultandum & agendum. In acutorum autem morborum, qui statim extremos labores habent, curationibꝰ, quæ diæ-

Quando validæ facultatis alimenta conveniant.

tæ

tæ adminiculo attentantur, necessum est mox à principio tali uti victus ratione, quæ præsentissimam vim alterandi id, quod molestat, habet.

CAP. III.

Remedia corporibus ægris salubria à medicis inveniri non posse, nisi iidem morborum curandorum causas exactè cognoverint.

QVi sibi studio habuerunt, ut, duce rectæ rationis judicio, invenirent experimenta, quæ de alimentorum classe essent & morbis in corporibus humanis mederentur, magnam talium remediorum penum necessariò instruxerunt, ut medici periti & exercitati cum delectu ex ea sumerent, quodcunq; suæ intentioni multiplici in morborum curatione serviret. Videbant enim multas esse humani corporis particulas, & tum di- *Cur multa alimenta inveniri necesse sit.*

ſtinctas cuique facultates, tum varias facultatum actiones, quæ multis modis afficerentur, ut non unum morborum genus conſtitui poſſet, quandoquidem aliàs univerſum corpus afficeretur: aliàs una pluresq; particulæ ſimul affectionem ſentirent: aliàs facultates tantùm: aliàs inſtrumenta & facultates ſimul læderentur: aliàs unius facultatis actio pateretur: aliàs omnes alicujus facultatis actiones omninò ceſſarent, diminuerentur aut depravarentur. Quæ res ingenioſorum hominum animos movit, ut in naturæ ſcrinia deſcenderent &, quantum Divina mortalium cognitioni concederet benignitas, eruerent remedia, quæ apta eſſent depulſioni variorum malorum, quæ corpora humana invaderent, & ſubinde varias moleſtias noxaſque illis afferrent. Hoc ipſum ſtudium videtur etiam DEVS, qui mundum, & quidquid rerum univerſitas continet, ſubjecit hominum diſputa-

Medicinæ ſtudium divinitùs hominum generi datum.

ſpitationi, ut ſacræ literæ teſtâtur, & Natura requirere ab hominibus, dum non tantùm varias rebus creatis formas & facultates dedit: verùm etiam Spiritus divinus ductu ac magiſterio ſuo excitavit ſublimia hominum eruditorum ingenia, ut ſubſtantias, qualitates & inſitas vires rerum creatarum indagando cognoſcerent ac hominum generi non modò explicarent, ſed etiam uſibus humanæ vitæ neceſſariis cautè, opportunè & dextrè accommodarent. Ita enim Divina Sapientia, providentia & paterna miſericordia ex mirabilibus dextræ ſuæ operibus cognoſci à mortalibus hominib⁹ manifeſtè poteſt: Ita hominum piorum animi excitantur ad obedientiam & gratiarum actionem, quam Creatori DEO pro aliis omnibus donis, quibus afficit ab initio mundi & adhuc quotidie afficit genus humanũ, ac maximè horum beneficiorum nomine, quæ humanæ fragilitati ſuccurrunt &, acceden-

Homines admirabilium DEI operum cõtemplatione ad gratiarum actionẽ incitari.

cedente gratia auxilioq́, illius benigno, vitam sanitatemque hominum tum conservant & in longam senectam producunt, tum ex variis ac crudelibus languoribus, quibꝰ multi ante diem extremum, vitæ suæ præfinitum, superarentur & è vivorum theatro auferrentur, vindicant & in pristinum sanitatis exoptatæ statum restituunt, meritò præstare tenentur.

Non omnia remedia omnibus morbis, neq; omnibus ægris conveniunt.

Sicuti autem inventorum remediorum magna copia, morbis variis & penè innumerabilibus opponenda, apud medicos celeberrimos habetur: Ita neque omnia omnibus morbis in omni hominum ætate, sexu, statu, regione, morborum temporibus & anni partibus cõvenire possunt: neq; omnia remedia, quorũ qualitates & facultates diversiss. sunt & ex mirabilibꝰ effectibꝰ, quos in corporibꝰ humanis edere solent, cognoscuntur: neque qualiacunq; ægris hominum corporibus, sine discrimine & omni præmeditatione, offeruntur tutò, veluti

impe-

imperiti sycophantæ autumant & pseudomedicorum inepta turba stolidè facit. Hi enim, nulla medendi methodo instructi, formas medicamentorum aliquas, quorum facultates nondum perspectas habent, ex oscitanti lectione optimorum autorum, qui medicinam cum multa laude & celebri felicitate fecerunt literarumque monumentis sua inventa æquè, ac salutaria artis medicæ præcepta consignarunt & ad nostram ætatem cum magno humanæ conversationis bono transmiserunt, quorum intentionem, præ hebetudine ingeniorum, iidem neutiquam assequuntur, corraserunt ac aliquoties per fortuitum casum alicujus usus præsentisque efficaciæ esse cognoverunt, instar maximorum mysteriorum habent: medicos se esse jactitant: medicamentorum suorum, quorum facultates neq; perspectas habent, neque ad certum agendi scopum dirigere norunt, operationem Stentorea

Ineptas pseudomedicorũ opiniones reprehendit.

voce apud ægros homines, eorum assessores & ubicunq; locorum occasio datur, mirificè commendant, cùm tamen sæpissimè sub specie saluberrimorum remediorum miseris hominibus, qui dolosæ imposturæ & nocentis temeritatis ignari sunt, acerrima & perniciosissima venena, quæ in furnis suis coquunt & suo arbitratu commiscent, exhibeant: fidem, autoritatem, eruditionem & felicitatem bonorum eruditorumq; medicorum apud imperitam plebem elevant & in dubium vocant: se solos oculatos ajunt: minimas rerum naturalium, sive illæ in cœlo, sive in aere, sive in aquis, sive in terra & imis ejus visceribus inveniantur, facultates & operationes ad unguē sibi notas jactitant & garrulitate sua, somniorum & anilium fabularum instar habente, inepta multa ad ravim usque proclamando aures sæpe obtundūt audientiū, ut ægri ipsi & horū familiares, præsertim si morosi sint, aut doctas

Non garrulitas, sed felices operationes medicum cōmendant.

doctas & delicatas aures habeant, mallent ipsos tacere, quàm futili linguæ loquacis usu molestos esse, cùm nõ multiloquio & inani jactantia, sed felicití artis medicæ tractatione se potiùs medicos ostendere deberent. Sed errent hi cum suis assertoribus & palponibus. Pii homines agnoscunt medicinam DEI donum esse & medicos creari instruiq; à DEO rerum creatarum scientia, qui nulli studio, nullis curis nullisq; sumptibus parcunt, ut ex optimorum præceptorum institutionibus & vetustissimis rei medicæ scriptoribus solidam artis medicæ cognitionem sibi comparent, nimirum eum in finem, ut tum medicus, tum res creatæ, quas medicina tractat, usibus humanis serviant: laudeturque DEI providentia & potentia in mirabilibus suæ dexteræ operibus. Quoties itaq; eruditi, fideles & exercitati medici morborum curationi adhibentur, non statim exhibent remedia, quæ obvia sunt

Quod piorum sit de medicina & medicis judicium.

Primò morbi genus explorandum.

aut menti eorum incidunt, ut ex locis exteris magno ære conquirantur: sed ante omnia morbos explorando cognoscunt, quam nimirum essentiam & qualitatem iidem habent: Deinde soliciti sunt, ut inveniant locum affectum, in quo morbus essentialem causam habet. Hoc invento, statim occurrit illis, quas particulas servientes vel vicinas & consentientes pars læsa teneat, quod tum ad dirigendas alimentorum essentias & facultates, tum ad instituendas ordine operationes apprimè utile & maximè necessarium est. Tertiò circa inquisitionem causarum internarum ac materialium, quæ morborum essentias constituunt, occupantur. Ex his inventis aut ratiocinando causas externas, quæ morborum occasiones fuerunt, ægris & familiaribus explicant. Quod eos artifices eximios & expertos probat atque facit, ut homines ægri artem admirentur, medicum laudibus extollant, prompto animo

Secundò locus affectus inquiritur cum servientibus & vicinis particulis.

Tertiò causa morborum interna investigatur.

Quartò causæ externæ inspiciuntur.

nimo ejus fidei & curationi sese committant, præceptis ac jussis prudentibus atq; necessariis obtemperent & nil nō faciant, quod à medico ad profligationes morborum salutare utilevé præcipitur: demum etiam iidem munificentia liberalitateq; sua declarent sibi medici operas utiles & gratas fuisse. Hæ enim causæ, quæ externæ sunt, ægris hominibus & eorum familiaribus facilimè innotescunt, quando à medico de iisdem commonentur: Internæ verò causæ, quæ in profundo corpore latent, solis medicis, qui eruditi & exercitati sunt, cognoscuntur & ad curationem rectè instituendam feliciterq; peragendam multum commodi medico attendenti præstant: Aut doctè inquirendo tam apud ægrum, quàm apud domesticos & familiares ægri, in plenam causarum externarum cognitionem deveniunt lumenque sibi accendunt, quo commodè utuntur ad investigationem causarum interna-

Quid commodi afferat medico causarum externarum cognitio.

rum, quando illæ post morbum jam factum recesserunt: hæ verò ita latent & occultantur, ut nullis rationibus sese aliis hominibus, sed solitantùm medico, qui illas suis indiciis cognoscit, manifestent. Sunt enim multæ causæ externæ, quæ post effectum suum recedunt & medicum omninò latent, ut nunquam in cognitionem earum indagando deveniret, nisi de iisdem diligenti & multa investigatione per ægros ipsos aut eorundem ministros familiaresvé edoceretur. Interest autem plurimum medici, qui methodo investigandi rerum causas instructum animũ habet, exactè scire, an aeris intemperies nimis calida vel frigida, humida vel sicca aut etiam composita, fatigatio, nimius & intempestivus somnus, vigiliæ immodicæ, intempestiva exercitia, sitis, fames, ebrietas, crapula, cibi potusque abundantia, immodica & intempestiva libido, ira, inanitio, timor, gaudium, anxietas, longus mœror,

Aliquando causæ externæ posito effectu, recedunt.

ror, altus clamor, ficuti etiam multum otium, durus labor, lapsus & alii fortuiti casus, qui in vita humana varii crebrique contingunt, morbi curandi antecedens causa & occasio generādi in corpore ægro morbificas materias fuerint. Hæc enim omnia perfectè docent medicum de essentiali morborum profligandorum materia, qua cognita, facilimum est instituere idoneam victus rationem, qua hujusmodi materiæ, quæ ex antecedentibus causis generatæ fuerant & adhuc morbis fomitem præbent, corrigantur, dissipentur, absumantur aut extra corpus per idoneam ejusmodi excretionibus viam deducantur. Fit autem interdum, ut una aliqua causarum externarum ab ægris aut circumstantibus medico indicetur, quæ per sese ad morbificarum causarum generationem parum vel nihil facere videtur, etiamsi morbo occasionem proximam dedisse æstimetur, quan-

Quintò, post considerationem circumstantiarum, facilè idonea victus ratio instituitur.

Quomodò vera causa externa aliàs prodat.

quandoquidem invenit subjectum prædispositum, in quo faciliùs effectum suum ostenderit: ubi nos diligenter oportet æstimare causæ illius robur: & posteà ex una illa causa concurrentes investigare, atque earum vim examinare. Causa enim per sese invalida ac vilis si ab aliis conjunctis, quæ vel præcesserunt vel adhuc adsunt, adjuvetur & irritetur, plurimum sæpe valet ad effectum producendum, quem per se nunquam gigneret. Quæ si dextrè regatur & abigatur cum suis adjunctis & irritantibus causis, morbus aut omninò curatur, aut vehementiam remittit suam adeò, ut inducias habeat medicus ad instituenda & administranda ea, quæ ad plenam perfectamq; corporis ægri curationem necessaria atq; utilia videntur. Quæ ratio est, quòd aliquando iidem morbi neq; velint, neque possint iisdem medicamentis, multò minùs alimentis ejusdem generis & facultatis curari in personis omni-

Causa per se invalida, si stipetur adjuvantibus causis, quid valeat.

Cur iisdem morbis in diversis hominum corporibus diversa alimēta præscribantur.

omnibus: ſed, ratione ſubſtantiæ, temperamenti, ætatis, ſexus, ſtatus, anni temporis, regionis & conſuetudinis vivendi æquè, ac ratione morbi, ejusque tum temporum, tum cauſarum ſymptomatumq;, diverſam tum medicationem, tum diætam requirant, ut infrà copioſiùs oſtendetur.

CAP. IV.

Quæ in materiæ morbificæ investigatione medico consideranda veniant.

ABſque materiæ morbificæ, quæ morbi eſſentiam conſtituit, cognitione medicos circa ægros agere non aliter, atq; in profunda caligine palpitant homines lucis ſplendore deſtituti, nulli nō notum eſt, qui prudentem mentem habet. Quid enim agere aut ad quem ſcopum ſuas actiones dirigere debeant, omninò ignorant.

Non cognita morbi materia medicum errare.

rant. Proinde antè, quàm curandis corporibus, quæ morbis conflictantur, manus admovent, medicos occupatos esse anxiè circa materiæ conjunctæ cognitionem decet. Actionum verò consilium nō oportet peti à rebus latentibus & tum à professione medica remotis, tum à cognitione hominum eruditorum prorsùs alienis, ficuti faciunt impostores & extremæ improbitatis homines, qui Dæmoniacis præstigiis hominib⁹ simplicibus imponere, ut vitam suam miserè alant, neutiquam verentur. Istæ enim omninò dubiæ, incertæ & tanquam impiæ, jamdudum expresso DEI mandato hominibus, qui Christo nomina dederunt, vetitæ sunt similesq; quippiam habent somniis ac nugis hominum incantatorum & gesticulatorum. Sed potiùs à signis evidentibus & arti medicæ propriis, quæ certas in se demonstrationes cōtinent, omnis agendi occasio & ratio viris in medica arte exercitatis

Vnde actionum intentiones medici eruditi sumant.

&

& approbatis desumatur. Initio itaque corporis ægri, circa cujus curationem medicus versatur, temperatura inspicienda est. Diligenter enim videndum & excutiendum venit primò, quam qualitatum permistionem secundum naturam habeat hominis corpus: & quam ex longa vivendi consuetudine adquisivit ita, ac si corpori curando naturalis & congenita in statu sanitatis esset. Deinde perscrutandum, quæ sit instrumentorum, facultatibus ad actionum necessariarum productionem servientium, structura in magnitudine, figura, numero & positu. Corpora enim sana sunt, quæ in quatuor primis qualitatibus bonam temperiem, quæ in latitudine sanitatis est, & in omnibus instrumentis, ad facultatum actiones perficiendas necessariis, laudabilem constitutionem ab initio generationis habent ad illud temporis punctum, quo morbis infestari incipiunt: Sicuti ægra corpora

Primò temperamentum corporis explorandum.

Secundò inspicienda membrorum structura.

Corpora sana.

pora dicuntur, quæ intemperie cognata vel adquisita, quæ intra latitudinem sanitatis non continetur, laborant aut vitio instrumentorum informatione & à partu statim aut in vita casu aliquo corripiuntur: Quæ inter hæc medio modo sese habent, medicis neutra censeri solent. Tertiò excutienda sunt ea, quæ substantiæ temperaturam primogeneam vel ad quisitam & statum sanitatis non excedentem sequuntur, nimirum quomodò se habeant membra similaria & instrumentalia in mollitie, duritie, levitate & asperitate. Mollia enim membra humorum mitium copiam: dura verò siccitatem: sicuti levia humores dulces & aspera humores ustos, acres salsósque peccare ostendunt. Hinc manifestè æstimamus ægri corporis constitutionem aliàs humidam, aliàs siccam, quæ validam aut infirmam structuram habeat nervorum: frequenter aut raro adversa valetudine conflictetur: etsi morbis obno-

Corpora ægra.

Corpora neutra.

Tertiò qualitates secundariæ particularum investigantur.

obnoxia sit, an ii vehementes ac periculosi, vel mites ac benigni esse consueverint: an morbi in ægri hominis corpore brevis tẽporis sint vel multos dies, menses aut annos durent: quam ætatem ægri agant: quod vitæ genus amplectantur, laboriosum ne, an otiosum: & num in illo vitæ genere temperanter frugaliterq́; vel libidinosè, voluptuosè & lautè vitam ducere consueverint. Ex his enim diligenter circumspectis medicus peritus facilè æstimabit, quales materiæ in corporibus ægris redundent & morbis essentialem causam sive materiam conjunctam præbeant: Quartò inspiciendæ veniunt facultates animæ cum suis actionibus. Hæ enim omissæ, aut diminutæ, aut depravatæ indicant copiam, malignitatem & qualitatem materiæ peccantis cum morbi essentia & loco, in quo materia morbifica potissimùm figitur, sive illa peccet abundantia, sive defectu, sive maligna & noxia

Quartò facultates & actiones animæ indagantur.

qualitate, quæ vel ſpiritus, facultatum vehicula, vel humores, ſpirituum nutrimenta, vel membra organica, quæ humorum receptacula & ſpirituum facultatumque media ſunt, lædat atq; actiones aboleat, impediat aut quocunq; modo depravet. Quintò qualitates cutis, quæ morborum ſymptomata ſunt, cōſiderantur. Horum duplex genus eſt. Alterum enim viſu dignoſcitur, quod in coloribus, præter naturam exiſtentibus, aliàs in toto corpore, aliàs in pluribus particulis, aliàs tantùm in loco affecto conſiſtit. Hoc à jecinoris & venarum obſtructionibus originem habet atq; colore albo pituitam, rubeo ſanguinem, flavo bilem, livido nigrove melancholiam, ſicuti miſtis coloribus miſtam materiam indicat in corporibus ægris dominari. Alterũ verò genus dolorum nomine cenſetur & tactu ſenſuque tum ægrorum, tum medicorum peritorum dijudicatur. Nam durities humores ſiccos, mollities

Quintò ſymptomata explorantur in loci affectis.

ties humores fluidos & liquidos: distensio humorum peccantium multitudinem: rugositas humorum paucitatem: ariditas & asperitas humorum siccorum & acrium dominium: sicuti humiditas magna liquidarum materierũ abundantiam denotat. Si autem dolor acutus sentiatur, indicat materias calidas in loco affecto colligi: sin hebes & languidus, certum argumentum medico de collectione humorum frigidorũ in loco affecto præbet. Quidquid enim in tangibilibꝰ qualitatibꝰ alienum est à naturali habitu, id non naturali sive morbificæ intemperaturæ acceptũ ferri debet, quæ ex similarium partium vel humorum in iisdem contentorum aliena qualitate provenit & aliàs facultatibus omnibꝰ vel aliquibꝰ: aliàs verò instrumẽtis, quæ facultatibꝰ ad actionũ perfectionẽ deserviũt: aliàs deni- utrisq; simul noxam infert modò magnã, modò parvã, tum pro robore instrumentorũ ac facultatum, tum pro-

materierum multitudine, & earundem qualitate forti ac virulenta vel benigna & coctionem alterationemque facilè admittente. Facultatum enim æquè, ac instrumentorum vitio fit, ut humores aut non æqualiter, pro proportione debita, singulis membris distribuantur, aut spiritus facultatibus à suis principiis non subministrentur. Vnde statim alterationes in instrumentis & facultatibus contingunt, quæ interdum leves sunt, ut eas naturæ robur citra noxam sustineat: interdum magnæ & evidentes adeò, ut actiones facultatum in instrumentis vitient & pro multitudine atq; robore suo aliàs graves, & tamen curabiles, si dextrè tractentur, aliàs incurabiles & lethales læsiones producant. Sextò pulsuum differentiæ advertendæ veniunt. Cōmonent n. peritos medicos de virium robore & materierum tum quantitate tum qualitate. Pulsus.n. magnus, altus, celer, creber, & fortis superantem in cor-

Vnde alterationes in corporibus humanis oriantur.

Sextò. Pulsuũ differentiæ observentur.

Pulsus magnus.

corde, calorem, qui per arterias in omnes totius corporis humani particulas dispergitur, indicat: Parvus, tardus, rarus & languidus facultatum debilitatem aut instrumentorum, ob siccitatem & duritiem, inobedientiam aut deniq; nimiam frigiditatem in corpore ægro & humorum substantia dominari ostendit: Altus, latus & undosus humiditatem abundantem & ob id arteriarum tum laxitatem, tum mollitiem vel constans vitalium virium robur denotat: Brevis, arctus & humilis arterias exsiccatas, ob humorum calidorum siccorumque superantiam, fit & materierum humectantium defectum arguit: Languidus imbecillam facultatem & intemperiem magnam præ se fert, mutatus in fortem salubris fit: Durus nimiam frigiditatem, extremam siccitatem, tensionem & convulsionem fieri prodit: Mollis & plenus humorum copiam, arteriarum humiditatem efficientem, ut fit

Pulsus parvus.

Pulsus altus.

Pulsus brevis & humilis.

Pulsus languidus.

Pulsus durus

Pulsus mollis.

in superfluo benè nutrientium & satis humectantium ciborum usu atque nimio vini potu, consequitur: Contrà vacuus & brevis inediam longam vel immodicas evacuationes in ægro corpore fieri refert: Æqualis & ordinatus signum est virtutis fortis & bonæ temperiei: sicuti inordinatus, turbulentus & deficiẽs denotat facultates opprimi multitudine peccãtium materierum, & tamen naturam conari malo sese liberare. Hinc fit, ut inæqualibus spaciis recurrere & reciproco saltu moveri advertatur: Caprisans magnam putredinem & nimiam copiam fuliginositatum prodit: Vermiculans aut formicãs virium robur jam collabi & vitam hominis prope interitum esse docet: Convulsorius & serratus nervosarum partium inflammationes lethales in pleuritide & epilepsia fieri demonstrat. Septimò excrementorum dejectio vel retentio præter naturam consideratur. Quæ enim excernuntur in morbis, si

Pulsus vacuus.

Pulsus æqualis.

Pulsus inordinatus.

Pulsus caprisans.

Pulsus formicans.

Pulsus convulsorius.

Septimò excrementa cõsiderantur.

ſi naturalem ſuam eſſentiam ac qualitatem retineant, ſalutaria cenſentur & nihil novi portendunt: Sin præternaturam ſint, periculum mortis prænuntiant aut læſionem membrorum materiamq; humorum peccantium indicant. Aliqua verò præternaturam ſunt tota ſua ſubſtantia, ut puta cùm vel talia ſunt, quæ in corpore ſecundum naturam non generari cōſueverūt, vel ex eo genere eſſe deprehenduntur, quæ veluti theſaurus alioqui à natura cuſtodiuntur, neq; temerè expelluntur, ut ſymptomaticæ ſanguinis excretiones: Aliqua ratione vaſorum, quæ aperiuntur, vulnerantur, rumpuntur, eroduntur, obſtruuntur vel tranſſudant. Hæ excretiones cùm fiunt, oſtendunt expultricis virtutis fortitudinem vel retentricis facultatis imbecillitatem, materiæ etiam multitudinem, malignam qualitatem, viſcoſitatem aut craſſitiem, ut & cruditatem atque nimiam tenuitatem. Aliquando in magnis mor-

bis,oblongos & graves errores,qui in vita humana contingunt, omnes hæ causæ simul cōcurrunt: Aliqua præter naturam sunt ratione qualitatum, quæ percipiuntur vel odore, ut fœtore oris, aurium, narium, axillarum & putrescentium partium, alvi dejectiones & vesicæ excretiones,ructus item fumosi, fœtidi & crudi, qui cibum assumptum redolent: vel sapore,ut cum excrementa,qualia sunt sudores,sputa, mucus, sordes aurium & urina,sunt dulcia, acida, acria,salsa vel amara,aut aliquo alio sapore gustantium sensum feriunt: vel visu,ut cùm infecta sunt colore albo, cruditates denotant, flavo vel citrino, humorum superassatio fit & flava bilis in toto corpore humoribus dominatur,rubeo,tunc sanguinis dominium ostendunt, nigro melancholiam reliquos humores vincere & morbi causam esse ostendunt. Et hi colores aliàs per totam substantiam æqualiter sparsi apparent,aliàs particulatim, aliàs

aliàs variè & multis modis miſcentur: vel auditu, ut quando ab ægris hominibus vel etiam medico & adſiſtentibus audiuntur aurium ſonitus, qui ſibilo, tonitru, fragore vel fluctuum fremitu fiunt. Aliqua quantitate tantùm præter naturam ſunt & in ſymptomatum claſſe re ponuntur, quando vel ſuperfluè vel illegitimo tempore, vel indebito modo excernuntur, aliàs dejici ſolita à natura, quando ſanitate & integritate virium inſtrumentorumq; corpora humana fruuntur. Talia ſunt ſudor, urina, menſes mulierum, hæmorrhoides, ſtercus, ſemen, mucus, ſordes aurium, lacrymæ oculorum, ſputum. In his ſubſtantia, quantitas & qualitas, diligenti rationis exercitatæ examine conſiderata, exquiſitè docent medicum, quæ & qualis materia ſit, quæ morbum curandum in ægro corpore fovet. Retinentur verò præter naturam excrementa alvi: & ſignificat hæc retentio calorem natura- *Quando excrementa præter naturam retineantur.*

lem debilius agere in assumpta ali-
n. nta, & difficilius ea cõficere, quàm
tempore sanitatis facere solet: aut
quando calor naturalis benè sese habet,
prodit affectum in instrumentis,
qui est intemperies simplex vel
composita, quam efficiunt interdum
intra corpus sumpta, ut cibi potusq;
substantia solidior, frigidior & tum
concoctu difficilior, tum ad descendendum
ineptior, quàm ut naturæ
hominis conveniat: quantitas major,
quàm quæ à natura confici valet, vel
paucior, quàm naturæ corporis ad
nutritionem satis est, qualitas frigida,
acerba, austera, sicca, viscida, dulcis
& adhærens vel adstringens: ordo in
conveniens, ut quando solida, sicca
adstringentiaque primo loco assumuntur,
deinde liquida, pinguia &
dulcia submittuntur: deniq; consuetudo
vitæ mutata, quando videlicet
is, qui singulis diebus bis tervé cibum
assumsit, semel tantùm in die
corpus suum alimentis reficere cepit:
inter-

interdum ea, quæ extrinsecus corporibus adhibentur, ut aeris qualitates simplices & compositæ, somnus ac vigilia, si intempestivè, indecenter & immodicè fiant, exercitium ac quies, si in illis mutatio contingat, immodicæ repletiones, nimiæ aut crebræ evacuationes, balnea exiccantia aut nimia & intempestiva Venus. Sic excrementa flavæ atræque bilis ultra justum tempus in corpore humano detineri solent ob attractricis & expultricis facultatis imbecillitatem, quam efficit modò intēperatura simplex aut composita, quæ præter naturam est & temperiem folliculi fellis meatuūq; per quos fel transire solet, naturalem sanāq; mutat: modò verò vasorum coarctatio, quæ fit ex phlegmone, propter humorū vitiosas qualitates aut cōtinui solutionē ex scirrho, obstructione meatuum, pressura à vicinorum membrorum nimia repletione, inflammatione aut osculorū conniventia, quam sæpenu-
mero

mero excitat repletio vasorum, inflammatio, scirrhus aut siccitas non naturalis; quæ originem habet vel à nimio calore, qui excitatur frequenti calidorum & aromaticorum alimentorum usu vel medicamentis nimiùm exiccantibus & adstringentibus. Hæc enim humores exiccant, meatus constringunt & similaria membra exugendo densandoq; coarctant. Extremæ coctionis excrementa triplicia, nimirum halitus, sudor & sordes, cuti adhærentes, retinentur tum ob aeris frigidas qualitates, tum ob expultricis debilitatem, deniq; etiam ob errores in prima & secunda coctione commissos. Hæ universales excretionum species naturales sunt, quàm diu substantiam, quantitatem, qualitatem, modum tempusq; suum retinent, & corpus sanum esse optimeque nutriri ostendunt. Vbi verò mutatio substantiæ, quantitatis qualitatisq; simul in illis incidit, & neq; debito modo, neque tem-

tempore justo contingunt, statim produnt morbum & rectè ea consideranti materiam morbi intra corpus humanum collectam demonstrant, ut paulò antè diximus. Eadem ratio est particularium excretionum primùm cerebri, quod cùm sit rationalis animæ, qua homo bruta præcellit, domicilium, solido quidem osse, suis commissuris mirabiliter contexto, undiq; septum est, multos tamen magnos & conspicuos canales sivè meatus habet, per quos expurgari & fordes, à nutritione reliquæ, excerni possint, ut principes animæ facultates onere superfluitatum excrementitiarum leventur, nimirum nares, palatum, utramq; aurem, caluæ commissuras & oculos, qui ipsi quoq;, ut retineant suam puritatem & officio suo probè fungi possint, quidquid in eis excrementi gignitur, id per evidentes meatus secundum nasum ac palpebras ejiciunt. Et cùm expelluntur per hos meatus cerebri oculorumq;

Particulares excretiones.

rumq; superfluitates, æquè præ se ferunt substantia, quantitate qualitateq; antè dicto modo exanimata, materiam redundantem vel deficientem in cerebro: atq; indicant læsionem facultatis expultricis peralienas qualitates, citra humorum affluxum vel cum humorum affluxu, factam: aut instrumentorum, excretionibus talibus destinatorũ, morbos, quales sunt obstructio, conniventia, compressio, exiccatio & similia mala, quæ materiam vel crassam & crudam, eò delatam, arguunt, vel cerebrum ex defectu alimenti aut obstructione viarum, per quas ad cerebrum humores, quibus hominibus natura indiget ad cerebri, involucri & nervorum nutritionem, ferri secundum naturæ cursum consueverant: Deinde etiam pulmonum, qui tussi & screatu per os superflua ejiciunt: Tertiò ventriculi, qui solet noxia vomitu & alvi dejectione deponere: Quartò intestinorum, quæ excrementa sicca in alvi solutione excernunt: Quintò jecoris

&

& lienis, quæ partim per urinam, partim per alvi secessum noxia expellunt: Sextò renum ac vesicæ, quæ tantùm per urinæ emissionem vacuantur: Septimò matricis, quæ superfluitates suas in menstruis purgationibus deponit: Quibus hæmorrhoidũ fluxus non inconvenienter adnumeratur. Hæc indicia, de morborum materialibus ac essentialibus causis recitata, in quaq; hominis ætate propria: in media verò perfectissima & certissima sunt. Plurimum præterea adjumenti medico affert ad dignotionem humorum, in corporibus ægris redundantium & essentiam morbi constituentium, ægrorum hominũ ætas, vitæ genus, sexus, cõsuetudo vivendi, anni tẽpus, regio & cœli status præcedens aut præsens. Sicuti enim in singulis ætatum gradibus peculiarem mutationem accipit calor naturalis & temperamentum ingenitum: ita etiam singulis ætatibus alii humores in corpore humano redun-

Quid ætas ægrorum moneat.

Calorem naturalem singulis ætatibus mutari: & humores similiter.

dun-

dundant, qui ex erroribus in vita humana commissis aliàs hoc, aliàs illo modo se habent in substantia, quantitate & qualitate. Imò ipsum vitæ genus si sit otiosum, plurimum frigidarum & humidarum superfluitatum colligit. Sin verò sit laboriosum & durum, abundat calidis & siccis humoribus: sicut medio modo se habens vita adeò, ut moderatè corpus exerceatur & alternis vicibus quoq; quieti indulgeat, colligit humorum temperatorum, qualis est sanguis, abundantem copiam. Contrà vitæ genus anxium, timori, periculis, vigiliis, mœrori, solicitudinibus, gravibus studiis & continuis curis refertum, humorum frigidorum siccorumq; superfluitatem in corporibus hominum reddundare facit. Licet itaq; in pueritia materiæ calidæ & humidæ, ut sanguinis cum pituita semicocta mistus, secundum naturam corpora humana nutriant & in pubertate atq; adolescentia planè temperatæ,

Vitæ genus.

ratæ,ut optimus sanguis,materiæ inesse corporibus humanis debeant: Iuventus verò calidis & siccis, utputa flavæ bilis copia, materiis redundet: Ætatis porrò consistentis humores sint frigidi & sicci, qualis est melancholia, exiccenturque & refrigerentur usq; ad extremam senectam, quæ in solidis membris frigida & sicca, in instrumentalibus verò particulis valdè humida esse advertitur: Tamen consuetudo vivendi mala æquè, ac vitæ genus, hos ætatum humores alterat, immutat, vitiat & corrumpit: sicuti bona & laudabilis vivendi ratio eos in optimo sanoq; statu conservat atque de ætate in ætatem ordine traducit. Quamobrem post vitæ genus perspectum medico etiam exploranda est vitæ consuetudo, qua nimirum æger homo uti solitus erat antè, quàm morbo corriperetur. Ita enim in cognitionem ducetur humorum, in ætate sua per consuetudinem vivendi ab ægro collectorum,

Consuetudo vivendi mutat ætatum temperiem.

Consuetudo vivendi consideretur.

& deprehendet, an iidem sint illius ætatis proprii, vel ab ætate, quam æger habet, alieni. Præterea uti mutatio cõsuetudinis, quæ longo tempore duravit, morbum parit, quæ etsi deterior, quàm decebat, tamen corpori, jam perferre eam consuetudinem solito, nihil noxæ infert, quàm diu observatur: Ita ad consueta vicissim redire & ea, quæ minùs, quàm insueta, molestare naturam corporum ægrorum solẽt, etiamsi deteriora sint insuetis, vicissim offerre est expeditissima via, qua æger pristinum sanitatis statum recuperat. Adhæc sexus ostendit humorum substantiam, copiam & qualitatem. Viri enim calidiora corpora in singulis ætatibus habent, quam mulieres. Eam ob rem plus humorum calidorum in suis corporibus, quàm fœminæ, colligunt. Harum verò corpora beneficio naturæ ab anno ætatis decimoquarto ad quinquagesimum, extra impregnationis & lactationis tempora, mensibus singulis

Hip. lib. 1. Ap. 17. 2. Aph. 31. & 50. Hali Abbas lib. 5. pract. cap. 11.

Ægri hominis sexus.

gulis superfluitates humorum per menstruum fluxum deponunt, ut calor naturalis superesse possit, neque multitudine humorum frigidorum nimium coarctetur, neq; plane suffocetur. Quibus omnibus si anni tempus & qualitates aeris, in singulis anni temporibus secundum naturæ cursum prædominantes, regionum etiam locorumque, in quibus sani vivebant vel ægri adhuc agunt, statum temperiemque contemplatus fueris, & cœli constitutionem, sive stellarum ortum, positū occasumq; observaveris, facilimè in cognitionem materierum internarum, quæ morborum essentiam constituunt, devenies. Hæc enim temperata solent humores temperatos in corporibus humanis, præsertim si ægri temperamentum, ætas & consuetudo vivendi in cujusq; vitæ genere temperamento regionis atq; aeris, deinde etiam cœlesti constitutioni consentiant, maximè producere. Intepera-

Anni tempus & regionis temperies.

ta verò eorum humorum copiam producunt, qui in qualitatibus participant cum intemperie, quæ in anni tempore, regione ac aere, respectu cœli stellarumq; , præcipuè dominatur. Hinc si anni, regionis & aeris, ex efficacia cœlesti aut naturali statu, qualitates calidæ & siccæ corpora hominum frequenter afficiant, necessariò biliosi & adusti humores in eorum corporibus dominabuntur: sin calidæ ac humidæ, multum sanguinis pituitosi, obstructionibus putrediníq; obnoxii, in istiusmodi corporibus generabitur. Frigidæ verò & siccæ qualitates melancholicorum humorum superfluitates in corporibus redundare facient, sicuti frigidæ & humidæ qualitates plurima pituitosorum humorum copia hominum corpora replebunt.

CAP. V.

Morborum tam Chronicorum, quàm Acutorum, alios adhuc fieri, alios jam factos esse.

VBi medici industria cognovit morbi qualitatem & essentialem causam, à qua mala affectio, quæ instrumenta, vel facultates, vel utraq; simul lædit & vitiatas actiones in corpore humano aut affecta particula producit, fovetur ac viget tantisper, dum in corpore humano remanet: diligenter eidem excutiendum & advertendum venit, an materia peccans in corporis humani compage fluat & morbum adhuc faciat, an verò eadem secundum naturam in propriis superfluitatum receptaculis, quæ emunctoria vulgò appellantur, aut præter naturam in aliena particula, in qua naturaliter colligi non solebat, jam coacervata hæreat & morbum jam factum cum symptomatibus,

Materiæ morbificæ status distinctionem morborum efficit.

quæ sunt vitiatæ actiones, dolor præsens atq; color mutatus, foveat. Alia enim victus ratione opus habent morbi fieri incipientes, quorum materia adhuc in motu est: Aliam verò diætam requirunt morbi jam facti ac consumati, quorum materialis causa in loco affecto resedisse & morbum grassantem ibidem sustentare, donec materia morbi aut omninò consumatur, aut extra corpus propellatur à medico prudenti & exercitato advertitur. Sicuti, volente & juvante DEI Numine, in quatuor, qui sequentur, libris lectori, rei medicæ cognitionem cupidè affectanti, breviter & dilucidè ostendemus.

Alia victus ratio debetur morbis fieri incipientibus, alia jam factis.

LIBER

DE RATIONE CVRANDI HVMANORVM CORPORVM morbos per bonam Diætam.

CAP. I.

Ratio curandi per bonam Diætam morbos Chronicos, qui ex non naturali pituitæ cõsistentia originem habere & adhuc fieri incipiunt.

MOrborum Chronicorum duplicem materiam esse, nimirum pituitam & atram bilem, anteà dictum est. Proinde jam, omissis morbis, qui à melancholicis humoribus fiunt, adgrediamur curationem morborum Chronicorum, qui ex pituitosorum humorum mala consistentia fieri in-

cipiũt, cui interdum immodica quantitas, interdum noxia qualitas, interdum etiam non naturalis quantitas & qualitas accedunt & actiones lædunt. Horum curationem maximè rectæ rationis exercitato judicio cõsentaneam esse oportet. Quamobrem rejiciamus obscuras, & ambiguas causas, à quibus ars medica abhorret, etiamsi à cogitatione humani ingenii, quod in contemplatione rerum naturalium versatur, non facilè excludi possint, evidentes demonstrationes causarum facientium morbos sequamur. Sic fiet, ut feliciter ac cum laude agamus, quidquid circa ægra hominum corpora agere cogebimur, quando illa pristinæ incolumitati restituere studebimus. Quidquid autem præter naturam in corporibus ægris est & læsiones actionum inducit, illud ablationem sui requirit. Nam, ablata causa, tollitur effectus æquè, ac posita causa, quæ sufficiat ad actum, in subjecto benè

ad

ad actum recipiendum dispositio, effectum sequi necesse est, qui in corporibus ægris tantisper durat, quàm diu causa essentialis illius effectus in corpore remanet ac vigorem suum retinet. Sicuti autem in principio morbi Chronici, dum materia pituitosa adhuc in motu est, purgante medicamento aufertur in iis corporibus, quæ à medicamentorum usu non abhorrent: Ita in hujusmodi ægrorum corporum naturis, quæ medicamentorum assumptionem aversantur aut vitare coguntur, subductionem & consumptionem pituitosorũ humorum, si abundantia peccent, per bonam diætam moliri debemus. In cujus ordinatione eò intentos nos esse decet, ut pituitam consistentia peccantem neutiquam augeamus, sed augeri prohibeamus & id, quod jam in corpore productum advertimus, minuamus atque tum studiosa industria corrigamus, tum per ulteriorem coctionem ad bonam consi-

Initio materia peccans minuatur.

stentiam reducamus. Pituitæ enim dum naturalem statum retinet, sanguis semicoctus est, quem naturalis calor per ampliorem coctionem ad bonam humorum sanguineorum συμμετρίαν facilè reducit. Hanc naturæ actionem veteres medici doctæ mentis exercitato acumine advertebunt & nos singulari industria imitari jusserunt. Cùm enim pituitosus humor naturalem suam consistentiam amittit & nimis tenuis fit, ut propterea de parte ad partem fluere incipiat, neq; tamen multitudine nocet, neque qualitate maligna particulas instrumentales principaliavé membra infestat, ulteriore coctione ad justam consistentiam redigi debet antè, quàm in unam particulam concurrat. Hoc fiat citra subductionem materiæ pituitosæ, quam corpora pituitoso morbo obnoxia omninò requirunt, cùm nimia quantitas ad consistentiam tenuem accedit. Vbi verò bonitatem consistentiæ suæ

Tenuis pituita coquatur.

Crassa pituita incidatur.

suæ amittit & non naturalem statum assumit ita, ut sit nimis crassa & coctionem non facilè admittat: oportet ejus incisionem, liquationem & alterationem moliri, ut paulatim extra corpus beneficio caloris naturalis per expultricem virtutem excernatur. Quando autem pituita tenuis crassavé qualitates in se continet non naturales, quod fit, cùm dulcis, salsa, acida aut insipida est: tum præter minutionem, coctionem, incisionem, attenuationem & liquationem etiam alterationem admittit eò usque dum nocens qualitas ad benignam & convenientem corpori humano temperiem reducatur. Proinde in pituitæ consistentia tenui, cui neq; nimia quantitas, neq; maligna qualitas inest, coctionem ulteriorem adhibemus. Nam censemus eam consistentiam oriri ex debilitate caloris naturalis, qui eum humorē crudiorem & tenuiorem relinquit, quam ille secundū suam naturam in cor-

Quando pituitæ qualitates alterandæ sint.

Diæta in morbis ex tenui pituita fieri incipientibus.

Aer. corpore humano esse debebat. Atq; eam ob rem aeris qualitates omninò temperatas aut non nihil ad caliditatem ac siccitatem inclinatas eligimus ægro, ut in eo moretur. Si autem anni tempus non concedat, ut naturales aeris qualitates habeamus, quæ ad perficiendam coctionem tenuis pituitæ in corpore ægro necessariæ sunt: contubernium eidem aptum eligimus, quod quidem respicit Septentrionem & obscurum aerem habet, ventum tamen Septentrionalem non intromittimus in illud, sicuti nec meridionalē, licet vaporarii fenestræ respicerent meridiem, à quo necessariò velis & tapetibus clarum diei lumen arceri debet. Aere enim luminoso humores tenues ab internis membris ad externas particulas vocantur, unde fluxiones talium materierum augentur. Quantum autem medico opportunitatis datur, tantum studere debet, ut humores tenues & crudi in corporibus ægris ab omni fluxione

ne prohibeantur & tantiſper in loco,in quo collecti ſunt,quieſcât, dum coctio eorum perficiatur. Aliàs ſuo motu coctionem impedirent, morbum fieri incipientem producerent atque magis magiſque exacerbarent. Contubernii electi & præparati aerem miti ac blando tepore inſtruimus, dum vel in camino vel fornace, ut nobis Septentrioni propinquis mos eſt, arida & benè olentia ligna, quæ neq; nidorem, neq; fumũ multum de ſe dare ſolent, accendimus: & benè fragrantibus vaporibus rerum medicarum, quæ accenſæ aut vivis carbonibus injectæ vim calefaciendi & ſiccandi de ſe ſpirant, alteramus eundem. Odoratarum materierum, quæ conveniunt, quaſdam hîc proponemus, quibus plures addi ex bonorum autorum lectione diligenti facilè poſſunt. Sunt autem hæ: caryophylli, lignum aloes, baccæ & lignum juniperi atq; lauri, lavendula, majorana, thus, ſtyrax, benzoi, lada-

num,

num, ambra, moſchus, trochiſci de benzoi, carabe & ſimilis efficaciæ plures. Nec concedimus, ut neceſſarii atque amici crebro ingreſſu egreſſuque alienum aerem in contubernium intromittant, qui aerem ita præparatum in conclavi immutaret. Cibos eligimus facilis coctionis & tum bonum ſanguinem generantes, tum minimum excrementorum pituitoſorum cõtinentes. Quales ſunt pulli gallinacei, columbini, aviculæ montanæ, perdices, phaſiani, attagenes, columbæ ſylveſtres, capones, carnes hædorum, agnorum, piſces ſaxatiles, carnem friabilem & bonam habentes, ova ſorbilia, polentæ ex erica, avena aut farina triticea coctæ in aqua ſimplici, aut brodio carnium idoneo, & medico ſale butyroq; conditæ: in hunc modum etiam medulla panis triticei cum amygdalis contritis & ſaccharo hominibus lautæ fortunæ coquitur: juſcula caponum, gallinarum pingui

Cibus.

guium, carnium bubularum, ovorum, quorum lutea in cerevisia triticea, pura & defæcata vel in vino albo & dulci concutiuntur & pulvere cinnamomi, zinziberis, macis crociq; cum modico sale vel multo saccharo, melle puro aut uvis passis minoribus condiuntur. In potu concedimus ei vinum album, clarum, mediocris ætatis & aliqualiter austerum vel certè subdulcem saporem habens. His, qui vino uti nequeunt, vel ob magnam tenuitatem pituitæ cum impetu ad partes nobiles fluentis, ab eo sese abstinere coguntur, ordinamus crebrò triticeam, claram & probè defæcatam cerevisiam, quam præparari jubemus cum baccis Lauri, galanga, zingibere, caryophillis, mace, nuce Moschata & similibus aromatis, quæ mediocriter calefaciendi vi frigidas cerevisiæ qualitates alterare & gratum saporem ei conciliare valent. Hæc enim leviter contundimus & tenui Potus.

nui puroq; linteo illigata ex filo immittimus vasi vel cantharo, ex quo æger bibit. Vbi ad cruditatem magnam in toto corpore etiam accedit pituitæ copia & maligna qualitas, ad medicam potionem, quam Hippocratis vulgo appellamus, ægros audacter confugere jubemus. Vini autem veteris, clari & fortis, quale est Hungaricum, Italicum, Græcum & similia, usum non admittimus. Hujusmodi enim vina fortem facultatem calefaciendi, incidendi & penetrandi habent. Humores itaque crudos ad motum ferociter impellunt atque in totum corpus, potissimùm tamen ad articulos, deducunt. Vbi non modò difficulter tales materiæ concoquuntur, verùm etiam gravissimos dolores & Chronicos morbos, qui ægris commoriuntur, excitare sæpissimè cõspiciuntur. Somnum, qui jejuno ventriculo & tribus à cibo sumpto horis fit, concedimus iis nocturno tempore sufficientem: & à

Somnus.

vigi-

vigiliis longis eos arcemus Hæ enim coctiones impediunt: ille calorem naturalem intra corpus congregat, ut humores pleniùs perfectiore coctione elaborentur, & cruditas omnis iis adimatur. Cùm itaq; hinc fiat, ut externa membra frigescant, monemus ægros, ut mollibus tegumentis tempore somni membra externa foveant. Exercitia mediocria, ut sunt ambulationes, gestationes, vectiones, & labores, animi oblectandi causâ suscepti, concedimus iis ante prandium & cœnam, ubi ventris & vesicæ onera deposuerunt. A cibo assumpto illos omninò quiescere jubemus, dum coctio sufficiens alimentorum assumptorum in ventriculo peragatur Sicuti autem cavemus, ne vires naturalis facultatis nimio cibo, aut potu iidem onerent: sed temperanter vivant & à patinis scyphisque manus tum retrahant oculosq; insatiabiles cohibeant, cùm cibus potusq; palatum suavi sapore nimiùm allicit:

Motus & quies.

Repletio.

Inanitio.

L cit:

cit: Ita omnis generis evacuationes eisdem noxias esse cum Hippocrate censemus, qui cruda nullo modo moveri vult, nisi turgeant. Et tunc quidem initio morborum frigidorum, in quibus peccantem materiam raro turgere asserit Hippocrates & experientia testatur, subductio atque diversio per loca idonea fiant. Commodè autem subducitur materia pituitosa aliàs per alvi dejectionem, quam molimur cum jure pingui veteris caponis vel gallinæ, quod multo saccharo condimus, aut cum jure prunorum Damascenorum domesticorumq́;, ficuum, uvarum passarum, aqua hordei, quæ cum seminibus carminantibus præparata & dulcorata est, pulpa prunorum, ficuum, uvarum passarum & similium, quæ aluum lubricam facere & intestina extergere nonnihil solent: aliàs per vomitum, quem irritamus aqua tepida simplici vel hordei decocto, quibus multum olei olivarum

Quando initio morborũ Chronicorum minoratio ad mittatur.

aut butyri recentis admiſtum ſit. Interdum aliquantulum aceti iis addi ſolet: interdum jubemus oleo roſaceo, amygdalino vel ſimplici, ex olivis expreſſo, immergere digitum vel pennam, ut palatum titilletur tantiſper, dum nauſea vomitusque ventriculo excitetur. Diverſio verò, quæ à partibus nobilibus & internis ad ignobilia & externa membra fieri vult, præter alvi dejectionem ac vomitum, etiam tentatur frictionibus multis & ſudorificis, ligaturis dolorificis, balneis mineralibus & aereis, quæ ſudorem provocant, modò jejuno ventriculo & neutiquam à cibo ſumpto in loco calido & ſicco adhibeantur. A Veneris uſu & longis jejuniis omninò eos ſibi cavere volumus. Sicuti enim calor naturalis alimentis foveri in tali corporum conſtitutione & incoctione crudorum humorum juvari vult: Ita venus & jejunium ejuſdem actiones impedit & vires planè

enervat. Ab animi affectibus tristibus, metu, curis & solicitudinibus abstrahendi sunt: atque ad amœna & concessa gaudia familiaribus colloquiis, lepidis jocis, jucundis cantilenis, musicis instrumentis ludicrisq; spectaculis adsuefieri possunt. At in crassiore pituitæ consistentia, quàm natura corporis humani requirit, aerem contubernii oportet esse aliqualiter calidum & valdè humidum. Qui si natura talis non sit, aquarum ferventium de vase in vas fusione & refusione crebra ita præparandus erit. Cibus & potus convenit talis, qualem ægris, qui ex pituitæ tenui consistentia morbis affligi incipiunt, deberi diximus: Sorbitiones tamen, quibus aromatica, leviter calefacientia, incidentia attenuantiaq; miscentur, magis conveniunt, ut tum humorem peccantem eductioni præparent, tum vias, per quas educendum, lubricas faciant. Talia sunt semen anisi, cumini, carui, dauci, fœniculi, rad

Animi affectus.

Diæta morborum, qui à crassa pituita oriuntur.

Aer.

Cibus & potus.

ces apii, petroselini, asparagi, mei, libystici, rubia tinctorum, allia, cepæ, porra, ex herbis majorana, rosmarinus, fœniculum, menta, pulegium, salvia & similis efficaciæ alia. Vigiliis nimiis non tam indulgere, quàm somno nocturno refici possunt. Quies iis minimè convenit ad recuperandum sanitatis pristinæ statum. Humorum enim pituitosorum crassitiem quies auget. Quare ante & post sumptionem cibi mediocribus ambulationibus, vectionibus & aliis motibus exerceri debent, ut in iis humores pituitosi calefieri & meliùs fundi possint. Cætera in usu rerum non naturalium communia habent cum iis, quorum corpora tenuis pituitæ malis corripiuntur. Si porrò nimia quantitas aut noxia qualitas consistentiæ tenui vel crassæ in hoc humore accedere videtur, quando morbi Chronici fieri incipiunt: non tantùm coctioni, incisioni, attenuationi & liquationi, verùm etiam

Somnus & vigiliæ.

Exercitium & quies.

subductioni & alterationi humorum pituitosorum insistendum erit. Quod quomodò & quibus mediis fiat, in sequentibus capitibus ordine referetur.

CAP. II.

Qualis victus ratio observanda sit in malis Chronicis, quæ à pituita, qualitatibus peccante, fieri incipiunt.

Divisio morborum ratione sui status. MOrbi, qui in corporibus humanis sæpenumerò existunt, pituitam qualitatibus peccantem loco causæ materialis habent & ex actionum *Morbi increscentes.* læsione, excrementis, qualitate cutis doloreque reprehenduntur, aliquando increscunt, ad quos incipi- *Morbi consistentes.* entes morbi referuntur: aliquando consistunt, videlicet cum natura ægrorum corporum materias morbi vincit & sese malo liberat vel per propriarũ virium robur vel medicatione aut

aut idonea vivendi ratione adjuta: aliquando etiam declinare dicuntur, quando vires naturæ prævalent & violentiam morbi ita debilitant atq; profligant, ut naturæ humanæ vires se vicissim colligere & ad meliorem sanitatis statum tendere advertantur. *Morbi declinantes.* Initio itaque morborum Chronicorum, qui à pituita, qualitatibus peccante, fieri incipiunt, aere habitationis, in qua æger moratur, ad intemperiem calidam & siccam inclinare debet. *Aer.* Hujus enim materiæ qualitates primæ sunt frigidæ ac humidæ, quæ cùm supra debitum & convenientem naturæ humanæ modum in massa humorum augentur, per cótrarias qualitates ad legitimam temperié reducuntur. *Primæ pituitosi humoris qualitates quomodò corrigantur.* Secundæ verò qualitates sunt dulcedo, salsedo, acredo, quibus accedit ea qualitas, quæ omnis saporis, ob nimiam frigiditatem, expers est. *Qua ratione secundæ pituitæ qualitates emendentur cùm præternaturales fiunt.* Et sicuti dulcis pituita est omnium benignissima, quòd aliquid caloris temperati continet, cujus bene-

neficio justo temporis intervallo elaboratur & in perfectum sanguinem aliqua ejus pars convertitur. Quidquid verò in hujus coctione remanet, illud tanquam excrementitium cum screatu extra corpus humanum rejicitur: Ita salsa pituita magnam qualitatis naturalis corruptionem indicat, quæ in ea excitatur aut propter putredinem, in qua febrilis calor superassat pituitam, aut ob mixtionem salsorum & serosorum humorum, quando bilis flava cruditatem sapit ac pituitæ miscetur. Acida pituita dulci frigidior est &, propter magnam caloris innati debilitatem, cruditatem præ se fert: Insipida deniq; omnium frigidissima est & vix unquam alterando ita corrigitur, ut ad mitiorem naturam redeat: sed incidi, tenuari, præparari atque subduci debet. Hæ tres pituitæ non naturalis species exquisitè calidum & siccum habitationis aerem requirũt, in qua æger vivit, qualis temperies ut plu-

Pituita salsa.

Pituita acida.

Pituita insipida.

Quali aeris temperie non naturales pituitæ species indigeant.

plurimùm in aere, secundum naturalem temperiem se habente, æstivis diebus esse solet: cùm pituita dulcis per calorem naturalem facilè, citra multam aeris præparationem, coquatur, alteretur & in bonum sanguinem convertatur. Quando itaq; ex continua crapula, ebrietate, luxu aut aliàs inordinata per Hyemem atque Ver præcedens victus ratione tales pituitæ qualitates in corpore humano colliguntur & morbi Chronici in Æstatem incidunt, naturali aeris temperie ad alterationem & emendationem humorum peccantium cõtenti esse possumus. Eligamus igitur ægris habitationem, quæ respiciat meridiem vel ortum, & tranquillis diebus auram orientalem meridianamq; intromittamus: fenestras verò & januas, quæ Boreales auras admittunt, obstruamus. Si verò aliis anni temporibus iidem morbi corpora humana affligere incipiant, arte ac ingenio solerti naturæ afflictæ in æ-

gris hominum corporibus opem ferre studebimus. Habitationem itaq; ægro homini inquiremus non nimis amplam, quæ orientem aut meridianum Solem per radiorum sparsionẽ recipiat & aere claro illuminetur: in ea non modò nihil liquoris, sed ne humidi quidem vaporis particeps quippiam contineatur vel effundatur. Hominum crebros ingressus ac egressus, veluti immissionem aeris frigidi humidique, fieri omnibus modis prohibebimus. Aerem verò inclusum temperie calida & sicca ita instruemus, ut fornax quotidie bis calefiat aridis & siccis lignis: aut caminus continuò luceat luculento & claro igne, qui fumo niderosoque vapore careat: crebra suffumigia & odoramenta adhibebimus rerum calefacientium & siccantium, quales sunt caryophilli, mẽta, lignum aloes, cinnamomum, sabina, lavẽdula, majorana, rosmarinus, juniperi lignum & baccæ, lauri baccæ, nigella ocimum

mum, calamus aromaticus, spica nardi, mastix, thus, styrax, ambra, moschus: Spargemus etiam in pavimento & circa pulvinaria betonicæ flores, mentam, origanum, balsamitam, pulegium, cunilam, thymum, anethum, juncum odoratum, lavendulæ comam, melyssophyllum, folia basilici, herbam divæ Virginis. Hoc autem tantò diligentiùs & crebriùs faciemus, quantò magis morbum increscere advertemus. Nam, consistente morbo, alterationem in aere remissiorem fieri: sicuti &, declinante eo, aerem planè temperatum esse saluberrimum habetur, ne quid à nobis fiat, quod contrarium affectum corporibus ægris induceret. Ita enim corpora ad integram sanitatem nunquam reduceremus, sed afflicta & ægra alii morbo objiceremus, quod valdè temerarium esset. Sicuti enim in secunda valetudine cuivis homini maximè cavendum est, ne adversæ valetudinis,

Quid increscentia, consistentia & decrescentia morbi requirant in aerè alterando.

In bona valetudine conserventur præsidia adversæ valetudinis.

nis, quæ invadere affligereq; corpora posset, præsidia consumantur: ita à medico unicè opera danda est, ne spem de felici curationum suarum eventu temerè & inconsultò evertat. Quod fieret, si nimiùm alterando eò usq; procederet, dum naturale aut adquisitum & familiare temperamentum corporis ægri in contrarium statum duceretur. Hæc alteratio, quæ fit mediante aere, qualitatibus idoneis instructo, ferè semper satis facit medico in correctione qualitatum, quæ in pituitosis humoribus peccant & morbis causam præbent. Finem autem alterandi præscribunt medico natura & qualitas morbi, naturale vel adscititium temperamentum, quod sanitatis latitudinem habet, vires, ætas, vitæ genus, sexus & cõsuetudo ægri, quibus anni & regionum temperies accedit. Nihil enim ampliùs in alteratione primarum qualitatum attentandum, quàm hæ circumstantiæ permittunt fieri, ut infrà

Prudenter alterantibus utendum.

Aeris qualitates sufficere ad alterandam intemperiem pituitæ non naturalis.

frà copiosiùs docebitur: Interdum tamen, præsertim cùm secundæ qualitates alterationem & ablationem sui requirunt, etiam cibi potusq́; , ut somni, vigiliarum, exercitii & otii, inanitionis & repletionis animique affectuum ratio habetur, quæ ex sequenti capite desumantur.

CAP. III.

Qualis diæta conveniat hominibus in morbis Chronicis, qui à pituita, quantitate tantùm, vel qualitate simul peccante, fiunt.

Aeris qualitates humorum intemperaturas corrigere tantò efficaciùs possunt, quantò major sedulitas adhibetur à medico, ut alimenta in nutritione ægri hominis ad intentionem suam congrua usurpentur: somni item, vigiliarum, exercitii quietisq́; cōveniens tempus & justus modus *Quibus præsidiis aeris, ad alterandum idonei, intentiones juvemur.*

dus obſervetur, neq; inanitio aut repletio intempeſtiva fiat, neq; etiam animi perturbationes coctioni & alterationi humorum permutationem coloris naturalis quippiam noxæ inferant. Vbi itaque aer à natura qualitatibus neceſſariis inſtructus aut arte & ſolertia præparatus, ſicuti in præcedenti capite diximus, parum correctione pituitoſarum intemperatarum proficere advertitur, ſicuti fit, quando intemperies & qualitates noxias pituitoſi humoris quantitas fovet: tunc etiam adhibemus alimenta idonea & reliquas res non naturales adminiſtramus ita, ut aeris intentiones adjuventur & operationes promoveantur. Cibos autem offerimus ægris corporibus, in quibus pituita dulcis quantitate reliquis humoribus dominari & morbis eſſentiales cauſas præbere advertitur, planè temperatos aut non longè à temperatorum alimentorum natura recedentes. Tales enim calori

Aer.

Cibus.

natu-

naturali admodùm familiares sunt: ejusqualitates instaurant & coctionē laudabilem fieri juvant, ut bonus sanguis in corporibus humanis generetur & pituita dulcis rectiùs perfectiusque coquatur. Hujus generis cibi sunt ex herbis asparagi, borraginis & bugloſsi flores: ex fructib⁹ uvæ passæ majores & minores, zizipha, uvæ maturæ, ficus, palmulæ maturæ, saccharum, manna, poma dulcia & matura, medulla panis triticei, pistacia, olivæ maturæ, triticum coctum: ex animalibus ova sorbilia, in aquam feruentem effusa & statim extracta, aut butyro subacta, alaudæ, agni annui, capones, galli, gallinæ, hoedi, vituli, perdices, phasiani, attagenes, pisces saxatiles, pulli gallinacei & columbini, linguæ bovinæ, avium alæ. In quorum verò corporibus reliquiæ pituitæ non naturalis species peccare, & morbis incipientibus materiam præbere advertuntur, non solùm hactenùs dicti

cibi

cibi locum habebunt, ut in mediocri quantitate, quæ vitæ servandæ sufficiat, assumantur & consueto legitimoque tempore vires reficiant: verum etiam calidioris & siccioris temperamenti alimenta iis cum magno sanitatis & incolumitatis recuperandæ commodo administrantur. Qualia sunt ex herbis nasturcium, ruta, basilicon, beta, fœniculum, petroselinum, menta, rosmarinus, majorana, salvia, lupulus, borrago: ex radicibus allium, radicula, apium, cepa pastinaca, porrum, rapa, raphanus, enula, galanga, petroselinum, zinziber, zedoaria: ex fructibus panis triticeus, cum aromaticis seminibus præparatus, cicer, citri cortex & semen, dactyli, erica, fœnum Græcum, sesamum, sinapi, triticum coctum, amygdalæ amaræ, castaneæ, anethum, anisum, avellanæ, cappares, careum, cinnamomum, cyminum, carui, fœniculi semen, cardamomum, crocus, ficus aridæ, poma dulcia, caryophylli, ma-

li, macis, nux Moschata, pineæ nuces, piper: ex animalibus mel, carnes caprorum, cervorum, leporum, damarum, caprearum, passerum, aprorum, taurorum, merularum, sturnorum, turdorum, piscium sale conditorum, caseus antiquus & benè salitus ac omnis generis cibi, qui aromatis calefacientibus sufficienter condiuntur. Si tamen materia pituitosa suo fluxu caput petat, tenendum, quòd dactyli, allia, cepæ, porrum, lepidium, eruca, sinapi, ruta & similia, quæ caput fumosis nidoribus replent, omninò non conveniunt: sed ea, quæ pituitosum fluxum à cerebro repellunt atque in naturalibus membris continent, donec materia peccans concoquatur & absumatur. Abstinendum autem in talibus corporum ægrorum constitutionibus à cibis frigidis & humidis atque omnibus crudis, difficilis coctionis, tardi descensus & iis, qui pituitosarum superfluitatum copiam de se, post alterationem sufficientem,

in corporibus humanis relinquunt. Potus conveniens est his, qui pituita dulci abundant, saccharum in aqua aut vino oligophoro sufficienter coctum & mistum tenui, albo, claro & novo vel veteri & aqua probè diluto vino, vel Rhenano, quod per se debile est. Fortia enim vina fortiter penetrant, inflammant & humores promptiores ad fluendum faciunt: Iis verò, qui frigidiores pituitæ species intra corpora materias morbis colligunt & jam morbos ab iis excitari sentiunt, si ex fluxu suo non tendant ad cerebrum, utiliter datur vinum dulce, clarum & antiquum, citra aquæ additionem: Malvatica item, Græca, Hungarica aliaque ejus generis generosa ac fortia vina, postquam probè defæcata sunt, utiliter in potu offeruntur. Neque hic excludimus vina rubra antiqua & à fæcibus benè purgata. Sapa etiam ritè præparata & cum tenui vino diluta, sicuti decoctiones Hippocra-

Potus.

pocraticæ per se, vel melle despumato saccharové cocto dulcoris causâ temperatæ, in talibus corporum affectionibus meritò locum habere possunt, quando materiæ pituitosæ aut fluxu suo ad caput feruntur, aut totum corpus suo motu impetuoso inquietant. Somno moderato, tempestivo & convenienter facto incõclavi, cujus qualitates calidæ ac siccæ sint, indulgeant & nihilo minùs membra externa mollibus tepidisq; tegumentis probè muniant. Calor enim naturalis tempore somni ad interiora corporis redit & in membris naturalibus tum coctionem alimentorum perficit, tum humorũ pituitosorum correctionem molitur. Moderato verò somno eos uti ideo consultum est, quòd longus somnus & præsertim iste, qui interdiu à meridie aut statim à cœna fit & protrahitur in multam lucem, corpora hominũ pituitosis superfluitatibus adgravat. Calor enim naturalis excrementis, ultra debi- *Somnus.*

tum tempus retentis, valdè coarctatur ac debilitatur, ut deinde nequeat secernere excrementitia & inutilia ab utilibus & corporis humani nutritioni necessariis humoribꝰ. Quemadmodùm autem immoderatus somnus pituitosis corporibus nocet: ita immodicæ vigiliæ caloris naturalis robur dissipant, nec in naturalibus membris eum colligi sinunt, undè necessariò cruditates sequūtur & membra tam instrumentalia, quàm similaria totius corporis refrigerantur pituitosisq; superfluitatibus infarciuntur. Nam vitia primæ coctionis rarò aut nunquam in secunda coctione corriguntur: sicuti secundæ coctionis errores à tertia, quæ fit in similaribus membris, coctione emendari haud facilè possunt. Si autem ullum aliud in diæta pituitosorum morborum præceptum maximè tenendum erit, profectò de corporis exercitiis tempestivè & dextrè obeundis ægri solliciti esse debent, ut illud diligen-

Vigiliæ.

Exercitium.

ter

ter observent &, quantum adflicta valetudo concedit, fideliter exequantur, quod medici eruditi, prudentes & longa experientia docti illis cautè præcipiunt. Nihil enim magis caloris naturalis vires imbecilles recreat & in integrum restituit, nihil expeditiùs coctiones, quæ in naturalibus membris beneficio caloris naturalis fieri coguntur, juvat atq; promovet, nihil meliùs pituitosos humores absumere solet, quàm tempestiva ac moderata corporum humanorũ exercitia præstare possunt, ut calor naturalis robur suum habeat & munia necessaria vitæ sanitatiq; promptè & tempestivè exequatur. Hæc autem ægris hominibus tempestiva ac cõmóda sunt, quæ post ejectionem excrementorum alui, vesicæ, narium & pulmonum fiunt, una hora ante assumptionem cibi: & eò usque, dum moderato corporis motu respiratio crebra & cutis florida fit, producuntur. Quando verò salsa pituita simi-

laria membra occupavit &cutem exulcerare incipit, exercitia ad sudoris profusionem, non tamen largam, sed mediocrem, concedi possunt. Post alimentorum verò assumptionem ab omni labore & exercitio hujusmodi ægri arceri debent. Sicuti enim exercitia, in loco temperato legitimè facta, multum adjumenti ad consumptionem superfluitatum pituitosarum afferunt: Ita jucunda quies, quæ cum animi relaxatione citra somnum fit, admodùm utilis est calori naturali in coctione alimentorum assumptorum laudabiliter perficienda. Vbi verò coctio prima in ventriculo peracta est &chylus ad intestina descendit, exercitia illis concedi debent. Multum enim otium valdè nocet pituitosis hominum corporibus, quandoquidem facit, ut illa excrementitiis superfluitatibus scateant. Danda proinde opera, ut tam universalium evacuationum, quàm particularium excretionum viæ im-

Quies.

Inanitio.

stius-

hiusmodi corporibus semper sint liberæ & expeditæ, per quas tempestiuè dextreq; beneficio caloris naturalis à virtute expultrice excerni possit id, quod à coctionibus, tanquam inutile nutritioni, remansit. Nisi enim hoc fiat, calor naturalis coacervatione superfluitatum adgravatur & membra omnia refrigerantur, undè abundantia superfluitatum pituitosarũ generatur. A nimiis tamen inanitionibus cavendum est, quòd eæ calorẽ naturalem dissipant, facultatum vires debilitant, instrumentalia membra lædunt & totum corpus refrigerant. Ea propter parciùs hyssopo, origano, saccharo rubeo, polypodio, rhizini semine, sambuci genistæq; floribus, cucumere sylvestri & similibus herbis, quæ in alimẽtorũ præparationẽ pituitosis corporibus interdũ adhibentur, ut pituitam subducãt, utendum, quandoquidem sua vi humores irritant & ad fluendum impellunt. Venæ sectione

rara & parca aut omninò nulla sanguinis evacuatione si usi fuerint, vitæ & valetudini suæ admodùm consulent: Siquidem crebra aut multa sanguinis subtractio corpora valdè refrigerat: Aliquando tamen venæ sectio locum habet in ejusmodi corporibus, & multum sanguinis eis subtrahitur, cùm plenitudo nimia calorem naturalem coarctat, vasa tendit, sanguis pituitosus est & frigidis morbis, qui citò perimunt, causam præbere advertitur. A balneis aquarum dulcium frequentibus, præsertim si ea ingredi repleto ventriculo consueverint, arcendi sunt. Mineralibus verò, quæ aliquid sulphuris, aluminis salisvé continent & sua facultate humores pituitosos coquere, attenuare, digerere & absumere solent, utiliter jejuno ventriculo utuntur. Frictiones multæ & sudorem elicientes æquè, ac Venereæ excretiones, si intempestivæ & nimiæ sint, illis plurimum noxæ gignunt. Ligaturis fortibus

tibus extremitatum uti possunt ad divertendas pituitosorum humorum fluxiones, ubi videris eas tendere ad interna & nobilia membra, in quibus multum noxæ crearent. Cavendum vero unicè, ne unquam repletione alimentorum, quæ vel virtuti caloris naturalis vel ventriculo gravitatem ac molestiam afferret, istiusmodi ægri obruantur. Quod ut rectiùs fiat, videndum est medico, non quantum ab ægris assumatur, sed quid & quale illud sit, quo corpora ægra nutriri debent. Sunt enim multa alimenta, quæ ubi assumpta & à calore naturali alterata sunt, non tam quantitate, quam substantia & qualitate nocent. Substantia nocumentum dant dura & concoctu difficilia, quæ longam moram in ventriculo trahunt, ut sunt caseus multus, aqua omnis & hordeacea inprimis, cerebella, fabæ, caules bis cocti, glandes, intestina, lentes decorticati, mespila, poma austera, pyra austera, ova du- *Repletio.*

ra aut frixa, hordeum coctum, spinalis medulla, vinum austerum & crassum, dulce & novum, granata acetosa, lac, præsertim si cum chalybe aut silicibus calefiat, carobula, salemacerata aut fumo excitata, cruda omnia, castaneæ crudæ, cytonia, glandes, milium, panicum, oriza, mora rubi, palmulæ austeræ & omnia pontica, quæ in intestinis obstructiones faciunt. Qualitate nocent pisces in aquis stagnantibus viventes, squamis carentes, veteres, carnem duram habentes, acetosa omnia, cucumeres, cucurbitæ, ficus exiccatæ, hordeum & hordeacea edulia, melones, mora, nullium, cibi quocunque modo ex lacte vel caseo præparati, panicum, pepones, cerasa dulcia & acetosa, pruna, persica, carnes salitæ, endivia, lactuca, caro animalium annosorum, nervosa & extremitates animalium grandium, pyra acida, portulaca, cerebella animalium & alia, quæ vel refrigerant, vel tardè coquuntur & multum

tum pituitosorum humorum in corporibus humanis per calorem naturalem in ventriculo & epate alterata de se praebent. Cùm deniq; experientia notum sit animorum perturbationes varias temperamenti & caloris naturalis alterationes in humanis corporibus manifestè facere: caloris naturalis robur etiam dissipari & extingui, omniaq; corporum humanorum membra admodùm debilitari & refrigerari longa tristitia, frequenti metu, immodicis solicitudinibus & assiduis occupationum variarum curis: danda est ægris opera, ut ab animis suis hos vitæ incolumitatisq; hostes iidem longè arceant & iucunda lætaq; fronte cum amicis intimis, citra compotationes, luxum & crapulam, frequenter conversari familiariterq; de rebus iucundis & animum oblectantibus colloqui possint. Affectus.

CAP.

CAP. IV.

Quali victu curandi sint ægri in morbis Chronicis, qui à pituitosis humoribus jam facti sunt.

QVando in ægro hominis corpore Chronici morbi apparent, in quibus pituitosus humor causam essentialem morbi constituit, & jam in loco affecto ita tenaciter impactus hæret, ut neq; quidquam amplius eidem affluat, neq; humor collectus ad alia membra moveatur, sed ibi planè quiescat & actiones lædat: omni modo opera danda est primùm, ne aliquid pituitosarum superfluitatum in corpore ægro ampliùs generetur: deinde, ut id, quod vitiosum in loco affecto resedit, ibidem coctione, incisione, attenuatione & dissipatione consumatur aut educatur. Non solùm itaque prudenter consulendum, ut æger homo habitet in loco natura
Aer. cali-

calido & sicco aut, si talis propter anni temporis intemperiem haberi non possit habitatio, arte & industria talis aer in ægri contubernio luculento igne, ex aridis lignis facto, & odoramentis calidis siccisque suscitetur & foveatur, sicuti dictum est in capite, quod agit de victu in morbis Chronicis, quia pituita qualitate peccante fiunt, observando: Verùm etiam cibus & potus ita ordinabitur, ut substantia pauca sint, quæ nutrimenti loco offeruntur, concoctu facilia, non multi excrementi, neq; qualitate tali prædita, ut vel humores generatos exacerbent vel pituitosorum humorum copiam generent. Hæc essentia ac facultate ita instructa esse oportet, ut à calore naturali in corpore humano alterata tum boni sanguinis copiam augeant, tum id, quod de pituita superfluum vel qualitate noxium existimatur, corrigant. Quoniam autem multæ & diversæ sunt humani corporis particulæ, in quibus pitui- *Cibus & potus.*

pituitosi humores interdum secundum naturam, tãquam in propriis receptaculis superfluitatum, ultra debitum tempus retinentur: interdum præter naturam resident & actiones lædunt, ex quibus præcipuæ sunt cerebrum cum suis organis in capite à natura formatis, cor, pulmones, cum pectoris cavitate, epar, lien, ventriculus, renes, vesica, uterus, nervi atque ligamenta articulorum. Ideo diligenter explorandum venit, in quo potissimũm loco pituitosi humores sedem suam fixerint. Quod actiones læsæ, qualitates loci affecti apparentes & exeuntia vel mutata vel retenta ostẽdunt. Vbi de loco affecto certi erimus, non modò naturale temperamentum & vires totius corporis à nobis examinabuntur: verum etiam ætas ægri, vitæ genus, sexus, vita antè acta, anni tempus & ejus qualitates propriæ cum regionis temperie & morbi tempore in judicium cogitationum nostrarum vocanda erunt,

Locus affectus quomodò consideretur.

erunt, ut constituere possimus, quid ægrum hominis corpus ferat, & quid ista omnia in cibo potuq; requirere videantur. Deinde excutienda est loci affecti substantia, densané an rara, dura an mollis, solida an cavitatibus & meatibus instructa sit: figura & compositio, an nimirum ex similaribus particulis constet, an vero ad suam constitutionem assumpserit. Aliqua enim membra venas arterias & nervos ad suam compositionem: aliqua venas & arterias absque nervis: aliqua venas & nervos tantùm receperunt. Sicuti aliquæ magnas & conspicuas cavitates, easque singulares aut plures: aliqua verò plures & angustas neque tam visui apparentes, quàm ratione investigandas, habent. Ad hæc tum loci affecti situm, qui aliàs est profundus & longè à naturalibus membris remotus: aliàs membris naturali facultati servientib, propinquus: aut ipsa membra naturalia loci

affecti rationem ſubeunt, conſiderare debemus: tùm perpendendum, quo ſenſu præditus ille ſit. Nervoſa enim membra acuto ſenſu pollent, ſicuti membra, quæ nihil aut parum de nervoſis corporis humani ramis in ſuam ſubſtantiam & compoſitionem receperunt, aut nullo aut planè hebeti ſenſu fruuntur. Deniq; loci affecti functiones ratione dignitatis ac neceſſitatis excutiuntur. Videndum enim primò anlocus affectus habeat nobiles & principales operationes: Perpendendum deinde, an actiones illæ ad vitam & ſanitatem totius corporis, præcipuorum membrorum vel ſuiipſius conſervationem in loco affecto ſint ſummè neceſſariæ & continuò fieri cogantur: an verò actionum ſubeant rationem earum, quæ minùs neceſſariæ ſunt, neq; ſemper fiunt, ſed aut à natura certis vicibus adminiſtrantur, aut voluntario hominis arbitrio ſubjacent. Hæc enim omnia proprietates diverſas u-

nius & ejuſdem morbi in humanis corporibus efficiunt, quarum ratione etiam plurima medicis in dando alimento obſervanda diſcrimina veniunt, ut in ſequentibus capitibus ordine juſto docebitur.

CAP. V.

Quid naturale loci affecti temperamentum expetat in diæta.

NAturale temperamentum loci affecti, ſemper ſui conſervationem requirit. Quamobrem alimenta qualitatibus ſibi familiaria ægro corpori offerri debere indicat. Hinc pituitoſis morbis conflictantium hominum alii temperata, alii calida & & ſicca in primo, alii calida & ſicca in ſecundo gradu faciliùs admittunt & promptiùs talium alimentorum operatione juvantur. Sæpe etiam fit, ut ratione temperamen-

ti contrariis & minùs salubribus alimentis ægri nonnulli restituantur in integrum sanitatis statum, quorum curatio bonis & salutaribus alimentis diu multumq;, sed frustrà, tentabatur. Verumtamen irregulares istiusmodi naturæ certitudinem artis medicæ non elevant, neq; rectæ rationi consentientia inventa impugnant. Accidit etiam quandoque in illiusmodi hominum corporibus, quæ intemperie præter naturam aucta & morbo tali laborant, cujus qualitates intensæ consentiunt intẽperiei particulæ affectæ, quæ vel naturalis vel longa consuetudine adquisita advertitur, ut contrariæ qualitatis & efficaciæ alimenta in eo gradu, quo loci affecti temperies à naturali & sano statu recessit vel paulò inferiore tantisper exhibenda sint, dum intemperatura magna loco affecto corrigatur & ad consensum naturalem reducatur.

CAP.

CAP. VI.

Quid virium robur medicum in præscriptione alimenti moneat.

Vires robore constantes plus alimenti: imbecillæ verò tantum cibi potusque, quantum consumere, aut quanto foveri recreariique tantisper possunt, dum peccantis humoris violentiam aut multitudinē vincant & sese malo liberent, requirunt. Sicuti enim validæ vires copiosum alimentū, præsertim si morbus longè à suo vigore absit, benè cōficiūt & sese muniunt, ut usq; ad morbi statum durent & sufficiant ad coctionem, consumptionem & profligationem ejus, quod lædit. ita vires imbecillæ malè alimenti assumpti copiam conficerent, materias morbi Chronici inde augerent & ita multitudine materiæ morbosæ vincerentur, ut non tātum non sufficerent tanto tempore, quan-

to opus est ad coctionem peccantis materiæ, verùm etiam antè intercide-rent, quàm morbus statum suum contingeret. Hujus nos voluit mo-nere Hippocrates Lib. 1. Aph. part. 9. cùm dixit: medicum conjectura di-ligenti assequi debere, num æger cum victu, quem ei offert, usque ad morbi vigorem durare possit: an verò vires extenui victu collabi videantur ante morbi consistentiam: an denique morbus priùs deficiat & remittat, quàm vires in ægro hominis corpo-re concidant. Quanquam non ita facilè vires collabi in Chronicis ac pituitosis morbis solent, veluti in a-cutis passionibus, præsertim si mate-ria pituitosa supernas corporis hu-mani particulas invaserit, etiamsi te-nui victu ægri foveantur, ut testatur Hippoc. Lib. 2. de ratione vivendi in morbis acutis, cùm part. 31. inquit: Quibus in superioribus pituita conti-netur, ii inediam præter consuetudi-nem magna ex parte facilè tolerant,

quo

quo fit, ut & minùs iidem lædantur, si præter consuetudinem semel duntaxat in die reficiantur.

CAP. VII.

Ætas ægri quid in victus ordinatione fieri velit.

ÆTas deinde ægrorum hominũ, quos Chronici morbi affligunt, certam regulam in præscribendo cibo & potu proponit medico. Ad quam qui mentis oculos dirigit, in ordinando cibo & potu ægrorum hominum non facilè errabit. Nam in singulis ætatum gradibus alius calori naturali est status, aliæ vires, aliæve qualitates. Quam ob causam tam sani, quàm ægri in diversis ætatibus tum plus & minus alimentorum assumunt; tum benè maleq; conficere assumpta solent. Pueri enim difficulter ferunt jejunium, quod in cu-

ratione morborum pituitosorum videtur necessarium, cùm id, quod in humoribus crudū & pituitosum est, per calorem naturalem, cui pabulum aliud non suggeritur, fortiùs invadatur & meliùs concoquatur, quàm si caloris naturalis actio à coctione humorum, quam in defectu alimenti molitur, ad coctionem alimenti in ventriculo peragēdam revocaretur: nisi diceret Galenus Lib. 3. de Natura: Fac: se jejunia in cruditatibus minimè laudare. Quod de longis jejuniis & omnimoda abstinentia alimentorum etiam in aliorum humorum cruditatibus, procul dubio, intelligi voluit. Nimiam tamen humiditatem particularum similarium jejuniis absumi asserit Hippoc. Lib. 7. Aph. par. 60. ubi ait corporibus carnes humidas habentibus famem convenire, quòd eadem corpora exsiccet. Sed in morbis Chronicis, qui à pituitosis superfluitatibus originem & essentiam habent, hoc ipsum tentare peri-

periculosum est. Dicit enim Hippocrates Lib. 1. Aphor. part. 4. victum tenuẽ atq; exquisitũ in morbis Chronicis periculosum. Rationẽ verò hujus sententiæ reddit in sequenti ejusdem libri particula, qua docet tenui victu plus lædi ægros, quàm pleniore victu: Et cùm sanis exquisitus ac constitutus victus non sit conveniens ob id, quòd ita vivere consueti posteà errores difficiliùs ferũt, ægros multò periculosiùs agere, si tenui diæta utantur in morbis, quã si paulò pleniore alimẽto reficerẽtur. Vires enim paulò pleniore cibo refectæ facilè foventur atq; cõservantur: præter hæc etiam, cùm necessitas requirit, aliquãtulum alimẽto subtrahi potest. Tenui verò victu ampliùs debilitatæ, fractæ & prostratæ non subitò restaurantur, sed cum vitæ discrimine in conflictu, quem cum morbis & eorundem materiis postmodò in statu habere debent, superantur atq; miserè succumbentes palmam morbo causisque morbificis concedunt. Quòd

autem pueri famem difficulter ferant & maximè hi, qui vividi, alacres & inquieti sunt: fit tum propter temperamenti humidi constitutionem, quod simili alimento foveri debet, tum propter calidi innati vividas operationes, quæ non modò multum apponunt membris, sed etiam de humido alimento æquè ac innato humido plurimum per insensibilem perspirationem & alias excretiones secernunt. Quò enim propinquiores sunt partui pueri, eò humidiora corpora habent. Calor etiam plurimus in crescentibus corporibus multum similaribus membris apponit: & ideo plurimum alimenti conficit: superfluitates etiam tam per vias excretioni manifestæ destinatas, quàm per poros cutis fortiùs & sæpiùs secernit. Si itaq; non sufficienti alimento eorum corpora reficerentur, innatus illis calor suo robore & efficaci facultate invaderet humores tenellorum corporum, & primò eos,

qui

qui sunt in venis atque arteriis, absumeret, posteà solida membra exugendo exiccaret, dum humidum tam appositum, quam ingenitum planè absumeretur. Quod causa esset, ob quam corpora non ampliùs augerentur, sed ante justam ætatem marcore conficerentur & interirent. Secundum pueros difficilè jejunium famemq; sustinent adolescentes: tertium locum juvenes ferunt. Ætate verò consistentes meliùs & faciliùs jejunia tolerant: omnium deniq; facilimè senes. Illorum enim temperamentum frigidum siccumq; fieri incipit ac calor naturalis non ita validè in humores agit, atque tempore pueritiæ, adolescentiæ, juventutis & constantis ætatis facere consuevit. Horum verò calor naturalis est admodùm diminutus, ut parum alimenti vix laudabiliter conficiat & plurimum pituitosarum superfluitatum in instrumentalibus particulis congerat, in quas tempore abstinentiæ agit

Hip. lib. 1. Aph. part. 13.

Lib. 1. Aphor. part. 14.

git & inde, quod optimum est, exsugit: accedit & illud, quòd membra frigida siccaq; sint, neq; tantum sibi apponi postulent, quantum invegeta ætate apponebatur, quando calor naturalis suum robur habebat. Si itaque tanta alimenti copia corpora senum nutriri deberent in pituitosis ægritudinibus, quanta in præcedentibus ætatum gradibus solebant, facilimè calor eorum corporibus innatus tum alimenti copia, tum morborum materiis obrueretur & extinqueretur. Senes hac de re in pituitosis ægritudinibus admodùm frugaliter cibo potuque alendi sunt & potius crebrò, quàm semel & liberaliter. Contrà pueros & adolescentes liberaliore alimento refici, non tamen crebrò, sed in die bis vel ad summum ter utilissimum est. Iuvenes & ætate constantes tantò copiosiore alimento nutriri possunt, quantò longiùs à statu morbus Chronicus abest & quantò vires sunt robustiores, ut alimentum assu-

mere

mere conficereq; citra noxam valeant: minuendum autem alimentum eò audaciùs, quò vires sunt languidiores & status morbi propior, ut qualecunq; virium robur conservetur. Refectioni tamen, instaurationi &, si id minùs liceat, conservationi virium in omni ætate, quæ morbis Chronicis solet detineri, summè studeat medicus, cùm vires semel à morbi violentia superatæ & ferè omninò collapsæ nullo modo aut certè difficulter restaurari, morbus causaq; morbi non facilè expugnari, neq; homines ægri ad incolumem statum valetudinemq; bonam reduci possint. Imò vires violentia morbi & cùm causarum materialium multitudine, tum malignitate ac vehementia summè debilitatæ medicos prudentes ab omni actione cessare; sicuti validæ & firmæ audacter morbi ablationem accommodatis intentionibus & operationibus moliri jubent.

CAP.

CAP. VIII.

Quid vitæ genus in morborum Chronicorum, qui à pituita fomitem habent, victu à medico requirat.

VItæ præterea genus laboriosum, durum & multis fortibusq; exercitiis deditum, ægriùs, ac vitæ modus tener & delicatus, fert jejunium tenuemvé victum, qui tam tempore sanitatis, quàm in morbis Chronicis, quos pituita producit, quanquam homines, qui tale vitæ genus sustinent, raró istiusmodi morbis objiciuntur, constitutus tenaciter observatur. Contrà vita quieta, qualis est eorum hominum, qui longè à laboribus domesticis, curis publicis, negotiorum turbis & frequentibus peregrinationibus remoti in tranquillitate & otio delicatè vivunt omnibusq; rebus, ad vitam necessariis, & voluptatibus affluunt, facilimè inediã & paucum victum

victum suffert. Nam hæc caloris innati non habet tantum robur, quantum corpora exercitatorum & duris laboribus officiisq; tum publicis, tum privatis multùm occupatorum vel crebrò peregrinantium hominum cōtinent. Neq; etiam tantum decedit corporibus hominum otiosorum, quantum calor naturalis absumit & difflat in eorum hominum corporibus, qui duram laboriosamque vitæ professionem sequuntur. Et cùm his in die ter quaterve alimentum offeratur necessariò tempore sanitatis, in ægritudinibus Chronicis copioso alimento iidem refici postulant: Otiosis verò bis singulis diebus vel semel tantùm alimenta ministrare sufficiat, dum sanitate fruuntur, non inconvenienter fecerit medicus, si his, in Chronicis morbis constitutis, tenuem victum, quo vires ad statum usq; morbi solummodò conserventur, præscripserit & obtulerit.

CAP.

CAP. IX.

Quid sexus ægrorum hominum in Chronicis morbis, quos pituitosi humores producunt, medicum de alimento offerendo doceat.

SIc virilia corpora cùm sint calidiora, ficciora & robustiora fœmineis, etiam plus alimenti, quàm fœminæ, conficere possunt. Proinde in pituitosis morbis securiùs majore copia & calidiore ficcioreque qualitate alimentorum viriles personæ foveri debent, quàm fœmineæ, quæ ab frigidius humidiusq; corporũ suorũ temperamentum à valdè calefacientibus & ficcantibus alimentis læderentur. Convenit igitur horum corporibus alimentũ minus, quàm viris. Deinde eadem temperatis vel primum gradum calefacientium ficcantiumq; alimentorum non excedentibus qualitatibus in curatione pituitosorũ morborum

borum refici tantisper, dum morborum causæ abigantur, tutissimum est. Viri autem, qui iisdem morbis affliguntur, copioso alimento liberè secureq; uti possunt, quod qualitate sua classem temperatorum alimentorũ excedit & in primo, secundo tertiove calefacientium & siccantium ordine ponitur. Eorum enim temperamentum calidius & siccius non tam facilè alterationem admittit, sicuti fœminarum corpora frigidiora & humidiora. Accedit & illud, quòd virorum mẽbra similaria instrumẽtaliaq; sint solidiora & duriora, quàm fœminarũ, quæ tenera & mollia corpuscula habent. Invenias tamen quandoq; fœminas, quibus solida & dura est constitutio membrorum & temperies tam calida siccaq;, ut robore & temperie eædem certent cum quovis viro effœminato, qui in otio delicatè vivit. Sed ejusmodi fœmineorum corporum constitutio temperiesque ut rara est, ita victus ratione dura & multo labore adquiritur, quemadmo-

admodùm in agreſtibus hominibus apparet, quæ montana loca incolunt. Si tamen ea corpora conferantur virorum corporibus, qui iiſdem in locis eandem vitæ laborumq; durorum rationem amplectuntur: advertuntur fœminea corpora frigidiora, humidiora molliorаq; eſſe corporibus virilibus. Quare etiam in victus ratione earum, quando morbis correptæ ſunt, major copia cibi, qui ſit ſolidior, calidior ſicciorque eo, quem delicatis & otioſis fœminis præſcribimus, convenit: longè tamen minor, mollior, frigidior & humidior neceſſarius eſt illo, quem viris monticolis & duro labori deditis offerimus, quando eos victus ratione idonea in Chronicis morbis curare ſtudemus.

CAP.

CAP. X.

Magnam esse consuetudinis vim, quam medicus in victus ratione instituenda apud ægros non negligere debet.

QUantum verò in utroq; sexu cõsuetudo vivendi valeat ad morborum profligationem & virium integritatem recuperandam, medicis ex longa observatione plus satis innotescit. Quamobrem diligenter attendendum, an ægri una cœna quotidie contenti vixerint, an verò & prandere consueverint. Huic etiam Hippocrates tantum tribuit, ut universam victus rationem, quæ in cibo, potu atque exercitiis conspicua est, ex hac constitui velit: neq; eandem, si prava sit, subitò mutandam censeat. De alimentorum enim ordinatione inquit Lib. 2. Aphor. part. 50. Ex longo tempore consueta, & si deteriora sunt, minus molestiarum corpori-

Libro 1. de victu acutorum morborum idē docet.

O bus

bus afferre solent, quàm ea, quæ extra consuetudinem sunt. Hunc enim Aphorismum non tantùm de exercitiis, sed & de alimentis atque universa victus ratione intelligendum esse prudenter asseverat Galenus in commento. Addit autem ei cautionem Hippocrates, quòd oporteat ad insueta permutari: & id paulatim faciendum, cùm id, quod paulatim fit, tutum sit ut aliàs, ita tum quoque, quando ab alio ad aliud transitur, alibi docet. Idem docuerat in 38. part. ejusdem libri. Ibi enim asseveratur parum teteriorem cibum aut potum, magis tamen naturæ hominis ægri sanivé gratum, præferendum meliori, qui minùs gratus est. Cùm verò de exercitiis ac laboribus agit, disertè ait homines, etsi fiunt imbecilles & senes, solere fortiùs obire & faciliùs sustinere labores, quos perferre longo tempore consueverunt, quàm homines fortes & juvenes, qui illiusmodi laborib' exercitiisvé nunquam

Lib. 2. Apho. part. 51.

Lib. 2. Aph. part. 49.

quam

quam adsuefacti sunt. Idem plurimum consuetudini tribuit, ubi Lib. 2. de Rat. Victus in morbis acutis dicit etiam cubile præter consuetudinem aut molle, aut durum, molestum esse. His, quæ Hippocrates præcipit de observanda cõsuetudine in præscribendo victu apud ægros, subscribit Hali Abbas Lib. 3. practicæ cap. 11. dicens: Considerandum est, an multi cibi cõferant atq; utiles sint infirmo. Quidam etiã minoris sunt utilitatis. Sed si infirmi anima ad minùs utile inclinatur, appetitum ægri sequi debemus in eo, ut demus cibum, quem expedit. Conferentior est enim illi & melior utiliorq; cibus, quem libenter suscipit, quàm is, qui quidem salubrior utiliorq;, sed palato ægri non convenit. Sic & in omnibus aliis, quibus æger curandus est, fieri ratio approbat. Inquiremus itaq; & observabimus singulari cautaq; animi industria ægri hominis consuetudinem &, si non multũ noxæ afferat curationi in mor-

Idem infrà lib. 4. cap. 8.

bis Chronicis, nihil adversus illam tentabimus, sin impedimento nostris conatibus esse eam advertemus, admonebimus ægrum incommodi & hortabimur, ut illam ad tempus deserat, dum curatio morbi peragatur. Præter hæc non alienum ab integritate & fide medici prudentis esse putatur monere ægrum, ut consuetudinem vivendi, si prava est & Chronicis morbis originem essentiamq; præbet, paulatim deponat melioremq; vivendi rationem amplectatur.

CAP. XI.

Quid anni tempus & regio fieri suadeant in præscribendo victu, quo morbos Chronicos curare nitimur.

Hip. lib. 1. Aph. part. 15. ANni tempus & regio nos commonent Hyeme & Vere æquè, ac in regionibus frigidis ventres esse calidiss.

lidissimos & somnos longissimos: ideoq; fieri, ut calor innatus plurimo robore polleat & multis nutrimentis indigeat. In illis itaq; anni temporibus & regionibus corpora ægra, etsi Chronicis morbis, qui pituitam loco causæ conjunctæ habent, laborare advertantur, audacter copiosiore alimento, eoque in calefaciendo & siccando validiore fovenda esse, quàm aliis anni temporibus & reliquis regionum intemperaturis. Etsi itaque propter qualitatem horum anni temporum & regionum frigidam minus decedit per insensibilem perspirationem corporibus humanis, quàm Æstate ac initio Autumni vel in calida atq; sicca regione, ut proinde quis dicere posset minus alimentorum ad eorum corporum nutritionem in morbis Chronicis constituendum esse per ea anni tẽpora easq; regiones, quæ frigidam aëris intemperiem habent: in Æstate vero ac regionibus calidam aeris temperiem habentibus

plus apponendum corpori, cùm hoc anni tempore & in tali regionis intemperatura corpora rara & perspirabilia sint, plus etiam ipsis per insensibilem perspirationē decedat, quàm Hyeme & in regionibus frigidis: Tamen calor innatus meliùs colligitur & fortiùs agit in alimentum tam tempore Hyemis & Veris, quàm in regione frigida, ac in Æstate & calida aeris intemperie, quando ejus qualitas intenditur, ut acrior fiat, debiliùs verò propter sui dissipationem agat, quàm aliis anni temporibus aut in regionibus frigidis facere consuevit. Hinc fit, ut æquè Hyeme & Vere, ac in frigida regione, multum alimenti conficiat & abundantiore alimento corpora hominum, licet ægritudinibus frigidis & pituitosis afflicta sint, nutriri velint: contrà in Æstate & regionibus calidis minus alimenti conficiatur, ob suam debilitatem à calore naturali in corporibus humanis tempore tam sanitatis, quàm ægritudi-

nis

nis, ac Hyeme & Vere aut in frigidis regionibus. Famem autem corpora humana faciliùs Hyeme & Vere, ut in frigidis regionibus, sustinent, quàm in AEstate & calida regione. Nam Hyeme calor naturalis conclusus intra corpora ex alimēto sibi colligit penum magnam nutrimenti, ex quo plurimum membris validè apponit: multum verò ad sui sustentationē servat in instrumentalibus membris, cùm corporib. per insensibilem perspirationem parum decedat. AEstate verò & in calidis regionib. præter id, quòd calor naturalis dissipatur, ut una vice multum alimenti cōficere suo invalido robore nequeat, etiam membris similaribus non tātum apponitur, quantum Hyeme & Vere atq; in frigida regione iis assimilari solet, neq; tātus humorū thesaurus in internis particulis à calore naturali reponi potest, cùm pori cutis aperti sint & multum de substantia spirituū humorumque per insensibilem

perspirationem decedat: calor insuper externus membra exiccet, præsertim si sub Sole frequenter in locis apricis exerceantur vel multum laborent: ad hæc calor naturalis fortior factus humores consumat ac membra similaria exugendo arefaciat. Hinc fit, ut, dum membra, de suæ substantiæ & valetudinis conservatione solicita, fortiter fugunt in AEstate & calidis regionibus ac à naturalibus membris sibi conveniens alimentum trahunt, appetentia alimentorũ crebrior excitetur AEstate & calida regionis intemperie, quàm Hyeme & Vere atque in frigida regionum intemperatura. Minus tamen & liquidius, quod citò à calore naturali alterari, facilè ad similaria membra penetrare & promptè illa nimis exiccata irrigare possit, assumatur AEstate atq; in calida regione, quàm Hyeme & Vere in frigida regione. Quibus anni temporibus in frigida regione solidioris cibi magna quantitas non mo-

modò non noxia, sed admodùm necessaria est. Deniq; faciliùs in crasso & denso aere, quàm in puro & tenui, jejunia ab hominibus ferri possunt. Quamobrem medicus in curatione morborùm Chronicorum, quià pituita foventur, operam cum animi attentione diligenti dabit, ut victu copiosiore utatur in anni temporum & regionum frigidis intemperaturis: & parciori alimento alat ægros istiusmodi, quando calidæ siccæq; intemperaturæ in aere & regione dominantur.

CAP. XII.

Quid morborum tempora indicent in constitutione Diæta.

Differentia autem alimentorum in morborum Chronicorum, qui à pituita orti sunt, curatione obser-

vetur non tantùm ob diversum corporum humanorum temperamentum & circumstantias hactenus enumeratas: verùm etiam propter diversa morborum Chronicorum, quia pituita dependent, tempora. Sicuti enim aliam diætam oportet institui apud ægros in AEgypto & AEthiopia, aliam in Scythia & Tartaria, aliam in Italia & Hispania, aliam in Germania: Ita in diversis morborum Chronicorum atque pituitosorum temporibus diversa victus ratio ei observatu necessaria est, qui vult actionum suarum circa ægros felicem eventum, qui est ægri hominis sanitas, cõsequi & famam celebrem præmiumq́; sua industria dignum referre. Initio enim morborum Chronicorum, quos pituita produxit, pleniorem victum ægris offerre, quàm in statu, utile est. Victum verò constare oportet ex iis, quæ calorem naturalem roborare, humores calefacere, semi cruda coquere, lenta incidere, cras-

Principium morbi Chronici qualem diætam requirat.

crassa attenuare & superflua absumere vel tempestivè & dextrè extra corpus ducere valent. Qualia sunt, quæ alvum emolliunt & pituitosos humores coquunt, dissipant atq; educunt. Si enim, alvo nonpurgata, sorbitiones ægris hominib⁹ dederis, quātò plus dederis, tantò magis nocebis. In augmento morbi Chronici de victu tantum adimendum quotidie, ut tantò tenuiore victu ægrum corpus alamus, quantò augmentum morbi propiùs ad statum accedit: Modò in diminutione alimenti observemus, ne vires ob defectum nutrimenti collabantur, sed sufficientia ejus alantur & roborētur, ut in statu morbi fortiùs materiā peccantem oppugnare possint. Hujus generis alimēta sunt, quæ liquidam & in profundum penetrantem naturam efficacemq; agendi facultatem habent, ut ad locum affectū, si in profundo corpore lateat, pervenire possint. Eorū alimētorū facultatem roborabim⁹, cōtinebimus, ducemus

Hip. lib. 1. Aphor. part. 65.

Morbi pituitosi quali diæta in augmēto indigeant.

mus & juvabimus additis aromatis calefacientibus, ſiccantibus, incidentibus, attenuantibus & è profundo materiam pituitoſam evocantibus, quæ nihilominùs cum loci affecti temperamento ſano cognationem habent. Morbo verò conſiſtente, aut nihil omninò ægris offeremus, modò naturæ vires ſuum ſtatum retinere advertantur: aut parum dabimus alimenti, quo tantùm vires, quarũ prolapſum & nimiam debilitatem timemus, refocillentur. Tunc enim natura, circa materiæ peccantis coctionẽ occupata, ab opere ſibi & vitæ utili ad alimenti coctionem nõ avocari debet. Diſtractæ quandoquidem caloris naturalis vires poſteà neq; ſufficerent alimento coquendo, ne[illegible]e materiam morbi vincerent: & ita natura corporis humani in opere ſuo ſuccumbens morbo victoriam concederet. Meliùs itaque eſt naturæ in morbi vigore quietem dare aut certè conatus ejus juvare abſtinentia, modò

Vigor morbi qualem diætam requirat.

Hippo. lib. 1. Aph. part. 19.

dò vires sufficiant, quàm intempestivis alimentorum suggestionibus illius operationes turbare & conatus impedire. Denique declinante jam morbo, refectioni insistendum, quæ etiam alimentis non valdè calefacientibus, neq; nimium siccantibus, sed aut in primo gradu calidis & siccis aut planè temperatis paulò liberaliùs utendum, quàm in fine augmenti: atq; ita semper aliquantulum alimento addendū, & dirigentia atq; ducentia ad locum affectum eidem miscenda prō virium statu, donec ægrum corpus in pristinam incolumitatem vindicetur. Si porrò aliquid reliquum advertetur in loco affecto, tum alimenta condienda erunt aromatis, quæ cognationem cum loci affecti temperamento naturali habebunt, eundem mediocriter calefacere & materias pituitosas, quæ adhuc in eo, post morbū superatum, reliquæ sunt ampliùs coquere, incidere, attenuare, dissipare, resolvere & consumere

Declinatio quid in diæta fieri velit.

sua

ſua manifeſta facultate aut occulta eſſentia valebunt. Talibus eduliis admiſcere continentia & dirigentia adlocum affectum facultates, morbi curationi & reſidui reſolutioni neceſſarias, non nocet.

CAP. XIII.

Qualia alimenta ratione loci affecti eligenda ſint in curatione Chronicorum morborum, quos pituita fovet.

PRoinde ſubſtantiæ, qualitates, vires & facultates alimentorum, quæ loco affecto conveniant, prudenter è nobis deligendæ erunt, quando bona & laudabili victus ratione curandi venient morbi, qui Chronici ſunt & pituitoſas materias habent. Hoc ut tutiùs & rectiùs fiat, circumſtantiæ, quas in loco affecto cõſiderandas diximus, nos optimè inſtruent. Nam in membri

Lib. 1. cap. 1. Loci affecti ſubſtantia.

brisolidi duriq; affectione Chronica & pituitosa opus est ad coctionem, præparationem & eductionem pituitosorum humorum alimentis subtilibus, acribus & efficacibus, quæ incidendo, attenuãdo & alterãdo in profundum membri penetrant: At locus affect⁹, cujus substantia rara & mollis est, mitia alimenta requirit, quibus mediocris penetrandi agendiq; facultas inest. His enim plurimùm juvatur: & fortibus, si frequenter adhibeantur, manifestè læditur. Quali vero temperamento præditum est affectum membrum secundum naturam, talis qualitatis aromata alimentis tam coquentibus, quàm alterantibus, incidentibus, attenuantibus & roborantibus admiscenda sunt aliquando in æquali gradu, aliquando in eminentiore & fortiore tantò, quantò longiùs à sua temperie membrum affectum recessisse advertitur, ut cõtrariæ qualitatis & facultatis alimẽta faciliùs ad locum affectum admittantur

Loci affecti temperamentum.

&

plus apponendum corpori, cùm hoc anni tempore & in tali regionis intemperatura corpora rara & perspirabilia sint, plus etiam ipsis per insensibilem perspiratione decedat, quàm Hyeme & in regionibus frigidis. Tamen calor innatus meliùs colligitur & fortiùs agit in alimentum tam tempore Hyemis & Veris, quàm in regione frigida, ac in AEstate & calida aeris intemperie, quando ejus qualitas intenditur, ut acrior fiat, debiliùs verò propter sui dissipationem agat, quàm aliis anni temporibus aut in regionibus frigidis facere consuevit. Hinc fit, ut æquè Hyeme & Vere, ac in frigida regione, multum alimenti conficiat & abundantiore alimento corpora hominum, licet ægritudinibus frigidis & pituitosis afflicta sint, nutriri velint: contrà in Æstate & regionibus calidis minus alimenti conficiatur, ob suam debilitatem à calore naturali in corporibus humanis tempore tam sanitatis, quàm ægritudinis,

nis, ac Hyeme & Vere aut in frigidis regionibus. Famem autem corpora humana faciliùs Hyeme & Vere, ut in frigidis regionibus, sustinent, quàm in AEstate & calida regione. Nam Hyeme calor naturalis conclusus intra corpora ex alimẽto sibi colligit penum magnam nutrimenti, ex quo plurimum membris validè apponit: multum verò ad sui sustentationẽ servat in instrumentalibus membris, cùm corporib. per insensibilem perspirationem parum decedat. AEstate verò & in calidis regionib. præter id, quòd calor naturalis dissipatur, ut una vice multum alimenti cõficere suo invalido robore nequeat, etiam membris similaribus non tãtum apponitur, quantum Hyeme & Vere atq; in frigida regione iis assimilari solet, neq; tãtus humorũ thesaurus in internis particulis à calore naturali reponi potest, cùm pori cutis aperti sint & multum de substantia spirituũ humorumque per insensibilem

perspirationem decedat: calor insuper externus membra exiccet, præsertim si sub Sole frequenter in locis apricis exerceantur vel multum laborent: ad hæc calor naturalis acrior factus humores consumat ac membra similaria exugendo arefaciat. Hinc fit, ut, dum membra, de suæ substantiæ & valetudinis conservatione solicita, fortiter sugunt in AEstate & calidis regionibus ac à naturalibus membris sibi convenientis alimentum trahunt, appetentia alimentorũ crebrior excitetur AEstate & calida regionis intemperie, quàm Hyeme & Vere atque in frigida regionum intemperatura. Minus tamen & liquidius, quod citò à calore naturali alterari, facilè ad similaria membra penetrare & promptè illa nimis exiccata irrigare possit, assumatur AEstate atq; in calida regione, quàm Hyeme & Vere in frigida regione. Quibus anni temporibus in frigida regione solidioris cibi magna quantitas non

modò non noxia, sed admodùm necessaria est. Deniq; faciliùs in crasso & denso aere, quàm in puro & tenui, jejunia ab hominibus ferri possunt. Quamobrem medicus in curatione morborum Chronicorum, qui à pituita foventur, operam cum animi attentione diligenti dabit, ut victu copiosiore utatur in anni temporum & regionum frigidis intemperaturis; & parciori alimento alat ægros istiusmodi, quando calidæ siccæq; intemperaturæ in aere & regione dominantur.

CAP. XII.

Quid morborum tempora indicent in constitutione Diætæ.

Differentia autem alimentorum in morborum Chronicorum, qui à pituita orti sunt, curatione obser-

vetur non tantùm ob diversum corporum humanorum temperamentum & circumstantias hactenùs enumeratas: verùm etiam propter diversa morborum Chronicorum, qui à pituita dependent, tempora. Sicuti enim aliam diætam oportet institui apud ægros in AEgypto & AEthiopia, aliam in Scythia & Tartaria, aliam in Italia & Hispania, aliam in Germania: Ita in diversis morborum Chronicorum atque pituitosorum temporibus diversa victus ratio ei observatu necessaria est, qui vult actionum suarum circa ægros felicem eventum, qui est ægri hominis sanitas, cõsequi & famam celebrem præmiumq; sua industria dignum referre. Initio enim morborum Chronicorum, quos pituita produxit, pleniorem victum ægris offerre, quàm in statu, utile est. Victum verò constare oportet ex iis, quæ calorem naturalem roborare, humores calefacere, semi cruda coquere, lenta incidere, craſ-

Principium morbi Chronici qualem diætam requirat.

crassa attenuare & superflua absumere vel tempestivè & dextrè extra corpus ducere valent. Qualia sunt, quæ alvum emolliunt & pituitosos humores coquunt, dissipant atq; educunt. Si enim, alvo nonpurgata, sorbitiones ægris hominib' dederis, quãtò plus dederis, tantò magis nocebis. *Hip. lib. 2. Aphor. part. 65.*
In augmento morbi Chronici de victu tantum adimendum quotidie, ut tantò tenuiore victu ægrum corpus alamus, quantò augmentum morbi propius ad statum accedit: Modò in diminutione alimenti observemus, ne vires ob defectum nutrimenti collabantur, sed sufficientia ejus alantur & roborētur, ut in statu morbi fortiùs materiã peccantem oppugnare possint. Hujus generis alimēta sunt, quæ liquidam & in profundum penetrantem naturam efficacemq; agendi facultatem habent, ut ad locum affectũ, si in profundo corpore lateat, pervenire possint. Eorũ alimētorũ facultatem roborabim', cōtinebimus, ducemus *Morbi pituitosi quali diæta in augmēto indigeant.*

mus & juvabimus additis aromatis calefacientibus, ficcantibus, incidentibus, attenuantibus & è profundo materiam pituitosam evocantibus, quæ nihilominùs cum loci affecti temperamento sano cognationem habent. Morbo verò consistente, aut nihil omninò ægris offeremus, modò naturæ vires suum statum retinere advertantur: aut parum dabimus alimenti, quo tantùm vires, quarũ prolapsum & nimiam debilitatem timemus, refocillentur. Tunc enim natura, circa materiæ peccantis coctionẽ occupata, ab opere sibi & vitæ utili ad alimenti coctionem nõ avocari debet. Distractæ quandoquidem caloris naturalis vires posteà neq; sufficerent alimento coquendo, nec ne materiam morbi vincerent: & ita natura corporis humani in opere suo succumbens morbo victoriam concederet. Meliùs itaque est naturæ in morbi vigore quietem dare aut certè conatus ejus juvare abstinentiâ, mo-

Vigor morbi qualem diætam requirat.

Hippo. lib. 1. Aph. part. 19.

dò

dò vires sufficiant, quàm intempestivis alimentorum suggestionibus illius operationes turbare & conatus impedire. Denique declinante jam morbo, refectioni insistendum, quæ etiam alimentis non valdè calefacientibus, neq; nimiùm siccantibus, sed aut in primo gradu calidis & siccis aut planè temperatis paulò liberaliùs utendum, quàm in fine augmenti: atq; ita semper aliquantulum alimento addendũ, & dirigentia atq; ducentia ad locum affectum eidem miscenda pro virium statu, donec ægrum corpus in pristinam incolumitatem vindicetur. Si porrò aliquid reliquum advertetur in loco affecto, tum alimenta condienda erunt aromatis, quæ cognationem cum loci affecti temperamento naturali habebunt, eundem mediocriter calefacere & materias pituitosas, quæ adhuc in eo, post morbũ superatum, reliquæ sunt ampliùs coquere, incidere, attenuare, dissipare, resolvere & consumere

Declinatio quid in diæta fieri velit.

sua

bri ſolidi duriq; affectione Chronica & pituitoſa opus eſt ad coctionem, præparationem & eductionem pituitoſorum humorum alimentis ſubtilibus, acribus & efficacibus, quæ incidendo, attenuãdo & alterãdo in profundum membri penetrant: At locus affect⁹, cujus ſubſtantia rara & mollis eſt, mitia alimenta requirit, quibus mediocris penetrandi agendiq; facultas ineſt. His enim plurimùm juvatur: & fortibus, ſi frequenter adhibeantur, manifeſtè læditur. Quali verò temperamento præditum eſt affectum membrum ſecundum naturam, talis qualitatis aromata alimentis tam coquentibus, quàm alterantibus, incidentibus, attenuantibus & roborantibus admiſcenda ſunt aliquando in æquali gradu, aliquando in eminentiore & fortiore tantò, quantò longiùs à ſua temperie membrum affectum receſſiſſe advertitur, ut cõtrariæ qualitatis & facultatis alimẽta faciliùs ad locum affectum admittantur *Loci affecti temperamentum.*

&

& feliciùs operentur, quando ducentium qualitate & facultate convenienti adjuvantur. Simili ratione advertenda compositio membri affecti. Nam si illud multis vasis instructum sit, alimenta ad vasa affecta, vel facultatem in illis læsam, per ea, quæ aut tota essentia & occulta facultate aut manifesta qualitate cum vasis facultatibusvé familiaritatem habent, dirigi: cætera verò vasa, quæ nullam affectionem in se sustinent & læsis instrumentis nihilominus consentire coguntur, muniri ac roborari, ne à noxa primaria prorsus lædantur, postulant. Tantò verò fortiore operandi facultate alimenta, quæ morborum materias coquere, alterare, dissipare, educere aut membra debilia roborare debent, instrui oportet, quantò remotior locus affectus est à nutritivæ facultati servientibus membris: & tamen roborantia vias intermedias ducentiaque facultatem primariam & necessariam neutiquam

Situs loci affecti quid postulet.

omit-

omittenda erunt. Si verò locus affectus in propinquo sit aut etiam unum ex membris, quæ naturali facultati serviunt, morbo laboret, non tam valida agendi vi instruēda erunt alimēta: neque ea continentium ducentiumque aromatum præsidio opus habebunt. Proinde ventriculo, ob pituitosorum humorum copiam aut malignam qualitatem laboranti, conveniunt cibis admista hæc: acetum, agresta, apium, cassutha, cappares ex aceto, fumus terræ, nasturcium, nuces juglandes cum ficubus sumptæ, raphanus, sinapi: Vini veteris, flavi & fortis moderatus usus etiam opitulatur. Vitanda verò sunt alimenta, quæ ventriculum sua duritie, frigida qualitate aut tota substantia affligunt, ut sunt omnia difficilis coctionis & multi excrementi alimenta, ex quibus pauca hæc recensemus: Nocent ventriculo pituitoso usus anguriæ, peponum, atriplicis, betæ, bliti, brassicæ, piscium salitorum & anti-

quorum, qui carnes valdè humidas vel nimis ſiccas habent: item cavendum à cerebellis animalium pituitoſorum, carnibus avium paluſtrium, fœnu Græco, lacte, pinguedine animalium, potiſſimùm tamen piſcium, mellis multo uſu, rapis ſemicoctis & vino craſſo, recenti at auſtero: nocet etiam potus aquæ ſimplicis & ex hordei decocto collectæ. Debent enim ea, quæ ventriculo pituitoſo præſidio venire volumus, præſentis eſſe qualitatis & facultatis. Cùm autem membrum affectum in profundo latet corpore, alimẽta fortis qualitatis & multæ efficaciæ offerantur, quam non facilè calor naturalis diſſipare & reſolvere poſſit in prima ſecundavè coctione. Iis etiam continentia & ducentia aromata adduntur, ut facultates ad locum affectum promptè veniant. Adhæc munientibus opus eſt auxiliis, quæ ventriculum & vias intermedias muniant adverſus vim qualitatis & facultatis, quam ad locum affectum neceſ-

necessariò dirigimus. Sic membri affecti sensus tardus & hebes admittit fortes, acres & intensas alimentorum facultates, quæ uno actu efficere valent id, quod necessum est. Nam mitibus alimentorum facultatibus neq; facilè moventur, neq; à forti facultate aut qualitate agendi adeò irritantur, ut doleant aut alterationem noxiam citò recipiant. Membra contrà acuti & expediti sensus neq; acribus, neq; onere lædentibus, neq; facultate forti celeriter agentibus alimentis, ut sunt illa, quæ multum de aromatib, validæ efficaciæ in se continent, tētanda sunt. Hujusmodi enim alimenta nimia ac celeri operatione dolores excitarent, quib, membrum affectum læderetur. Conveniunt autem alimenta tantò mitiora, quantò membrū sensu acutiore instructum est, nimirum quæ citra dolorem & paulatim id, quod morbi natura, qualitas & causa requirunt, efficiant. Vbi denique in membris, quæ nobiles, præcipuas & vitæ necessari

Loci affecti sensus quid doceat.

Functiones loci affecti quid velint. as functiones habent, affectus residet, qui alimenta requirit, quacunque agendi facultate prædita, modo illa facultas morbo, causæ morbificæ vel symptomatibus contraria: & tum temperamento membri, tum morbi temporibus conveniens sit: habenda est ratio functionum & alimentis admiscentur ea, quæ functionum integritatem conservant. Hinc in cordis ac cerebri affectionibus conveniunt alimenta, quæ quidem affectui contraria sunt, & tamen odoratam vim atq; qualitatem temperamento illorum membrorum naturali aut sano familiarem in se contineant, qua membra affecta & eorum spiritus facultatesq; roborent ac recreent. Sic alimenta, quæ vel alterando corrigere morbosas qualitates vel materias morborum essentiales coquere, absumere, dissipare atque subducere in ventriculo vel epate volumus, necessariò instruimus adstringentibus & roborantibus aromaticarum; mate-

rierum qualitatibus, quæ virtutes instrumentorum naturali facultati servientium contineant & roborent. Præterea cavemus, ne illa membra intempestivo cibo aut potu onerentur, quando eorum facultates perficiunt suas functiones, quarum ad vitæ conservationem magna necessitas est. Vt cùm coctio in ventriculo fit, alium potum cibumvè ingeri ab ægro non permittimus, sed expectamus, donec à coctione peracta chylus ad intestina descenderit, & optima ejus pars per venas mesaraicas ad epar extracta fuerit, ut ibi in chymum convertatur. Aliàs enim magni errores in facultatis naturalis functionibus fierent, dum cruda coctis miscerentur & vel cocta diutiùs in ventriculo retinerentur, vel cruda concoctis mista intempestivè ad intestina propellerentur. Quæ actionum naturalis facultatis perturbatio multum mali ægritudine molestatis corporibus, ut & sanis hominibus, gigneret.

ſtra, ut ex regulis hactenùs poſitis patet. Panem cum ſeminibus carminativis & aromatis calefacientibus atque incidentibus ex farina triticea, pura, aut farris medulla optima, fermento & ſale præparatum atq; benè coctum, qui ætatem unius diei vel ad ſummum tridui habeat, exhibemus. Vinum concedimus hujuſmodi ægris tenue, vetus, defæcatum, odorum, fulvum & forte. Somnum diurnum & nocturnas vigilias illis nocere cenſemus. Cruditatem enim gignunt & pituitam augent, veluti etiam ille ſomnus facit, qui frequenter novem horas excedit. Somnus enim & vigilia utraq; ſi modum exceſſerint, calori naturali obſunt. Nam in nimio ſomno excretiones ultra debitum tempus retinentur intra corpus, à quibus calor naturalis coarctatur & facultates debilitantur. Sed nimis crebræ & longæ vigiliæ calorem naturalem diſſipant & debilitant, ut alimenta tardè & malè concoquat. Crebris

Somnus & vigilia.

Hip. lib. 2. de victu acut: part. 12. lib. 2. Aph. part. 3.

bris exercitiis, quæ ante assumptionem ciborum, cùm excrementa per consuetas excretionum vias deposita sunt, fieri volumus, illiusmodi ægros indulgere jubemus. Eligimus verò ea exercitia, quæ vel sani obire consueverunt, vel per valetudinem sustinere possunt. Et sicuti ab otio illos omni studio arcere conamur: ita post cibum assumptum horam unam ab omni labore, exercitio meditatione que cessare eis admodùm utile est, modò illo tempore somno non indulgeant. Repleri cibo aut potu in morbis pituitosis ita, ut vel facultas naturalis adgravetur, vel membra naturali facultati servientia tendantur & comprimantur, valdè noxium est. Non enim robur corporis hoc modo ægro instauratur, sed morbi materia augetur & exacerbatur. Quanquam verò liberaliore alimento in hujusmodi morbis ægri uti possunt ac debent: tamen illos cavere oportet, ne, dum vitare student virium colla- *Inanitio & repletio.*

bri solidi duriq; affectione Chronica & pituitosa opus est ad coctionem, præparationem & eductionem pituitosorum humorum alimentis subtilibus, acribus & efficacibus, quæ incidendo, attenuãdo & alterãdo in profundum membri penetrant. At locus affect⁹, cujus substantia rara & mollis est, mitia alimenta requirit, quibus mediocris penetrandi agendiq; facultas inest. His enim plurimùm juvatur: & fortibus, si frequenter adhibeantur, manifestè læditur. Quali verò temperamento præditum est affectum membrum secundum naturam, talis qualitatis aromata alimentis tam coquentibus, quàm alterantibus, incidentibus, attenuantibus & roborantibus admiscenda sunt aliquando in æquali gradu, aliquando in eminentiore & fortiore tantò, quantò longiùs à sua temperie membrum affectum recessisse advertitur, ut cõtrariæ qualitatis & facultatis alimẽta faciliùs ad locum affectum admittantur

Loci affecti temperamentum.

&

& feliciùs operentur, quando ducentium qualitate & facultate convenienti adjuvantur. Simili ratione advertenda compositio membri affecti. Nam si illud multis vasis instructum sit, alimenta ad vasa affecta, vel facultatem in illis læsam, per ea, quæ aut tota essentia & occulta facultate aut manifesta qualitate cum vasis facultatibusvé familiaritatem habent, dirigi: cætera verò vasa, quæ nullam affectionem in se sustinent & læsis instrumentis nihilominus consentire coguntur, muniri ac roborari, ne à noxa primaria prorsus lædantur, postulant. Tantò verò fortiore operandi facultate alimenta, quæ morborum materias coquere, alterare, dissipare, educere aut membra debilia roborare debent, instrui oportet, quantò remotior locus affectus est à nutritivæ facultati servientibus membris: & tamen roborantia vias intermedias ducentiaque facultatem primariam & necessariam neutiquam

Situs loci affecti quid postulet.

omittenda erunt. Si verò locus affectus in propinquo sit aut etiam unum ex membris, quæ naturali facultati serviunt, morbo laboret, non tam valida agendi vi instruēda erunt alimēta: neque ea continentium ducentiumque aromatum præsidio opus habebunt. Proinde ventriculo, ob pituitosorum humorum copiam aut malignam qualitatem laboranti, conveniunt cibis admista hæc: acetum, agresta, apium, cassutha, cappares ex aceto, fumus terræ, nasturcium, nuces juglandes cum ficubus sumptæ, raphanus, sinapi: Vini veteris, flavi & fortis moderatus usus etiam opitulatur. Vitanda verò sunt alimenta, quæ ventriculum sua duritie, frigida qualitate aut tota substantia affligunt, ut sunt omnia difficilis coctionis & multi excrementi alimenta, ex quibus pauca hæc recensemus: Nocent ventriculo pituitoso usus anguriæ, peponum, atriplicis, betæ, bliti, brassicæ, piscium salitorum & anti-

quorum, qui carnes valdè humidas vel nimis ſiccas habent: item cavendum à cerebellis animalium pituitoſorum, carnibus avium paluſtrium, fœnu Græco, lacte, pinguedine animalium, potiſſimùm tamen piſcium, mellis multo uſu, rapis ſemicoctis & vino craſſo, recenti at auſtero: nocet etiam potus aquæ ſimplicis & ex hordei decocto collectæ. Debent enim ea, quæ ventriculo pituitoſo præſidio venire volumus, præſentis eſſe qualitatis & facultatis. Cùm autem membrum affectum in profundo latet corpore, alimēta fortis qualitatis & multæ efficaciæ offerantur, quam non facilè calor naturalis diſſipare & reſolvere poſſit in prima ſecundavè coctione. Iis etiam continentia & ducentia aromata adduntur, ut facultates ad locum affectum promptè veniant. Adhæc munientibus opus eſt auxiliis, quæ ventriculum & vias intermedias muniant adverſus vim qualitatis & facultatis, quam ad locum affectum neceſ-

necessariò dirigimus. Sic membri affecti sensus tardus & hebes admittit fortes, actes & intensas alimentorum facultates, quæ uno actu efficere valent id; quod necessum est. Nam mitibus alimentorum facultatibus neq; facilè moventur, neq; à forti facultate aut qualitate agendi adeò irritantur, ut doleant aut alterationem noxiam citò recipiant. Membra contrà acuti & expediti sensus neq; acribus, neq; onere lædentibus, neq; facultate forti celeriter agentibus alimentis, ut sunt illa, quæ multum de aromatib, validæ efficaciæ in se continent, tẽtanda sunt. Hujusmodi enim alimenta nimia ac celeri operatione dolores excitarent, quib, membrum affectum læderetur. Conveniunt autem alimenta tantò mitiora, quantò membrũ sensu acutiore instructum est, nimirum quæ citra dolorem & paulatim id, quod morbi natura, qualitas & causa requirunt, efficiant. Vbi denique in membris, quæ nobiles, præcipuas & vitæ necessari

Loci affectus sensus quid doceat.

Functiones loci affecti quid velint.

as functiones habent, affectus residet, qui alimenta requirit, quacunque agendi facultate prædita, modo illa facultas morbo, causæ morbificæ vel symptomatibus contraria: & tum temperamento membri, tum morbi temporibus conveniens sit: habenda est ratio functionum & alimentis admiscentur ea, quæ functionum integritatem conservant. Hinc in cordis ac cerebri affectionibus conveniunt alimenta, quæ quidem affectui contraria sunt, & tamen odoratam vim atq; qualitatem temperamento illorum membrorum naturali aut sano familiarem in se contineant, qua membra affecta & eorum spiritus facultatesq; roborent ac recreent. Sic alimenta, quæ vel alterando corrigere morbosas qualitates vel materias morborum essentiales coquere, absumere, dissipare atque subducere in ventriculo vel epate volumus, necessariò instruimus adstringentibus & roborantibus aromaticarum; materierum

rierum qualitatibus, quæ virtutes instrumentorum naturali facultati servientium contineant & roborent. Præterea cavemus, ne illa membra intempestivo cibo aut potu onerentur, quando eorum facultates perficiunt suas functiones, quarum ad vitæ conservationem magna necessitas est. Vt cùm coctio in ventriculo fit, alium potum cibumvè ingeri ab ægro non permittimus, sed expectamus, donec à coctione peracta chylus ad intestina descenderit, & optima ejus pars per venas mesaraicas ad epar extracta fuerit, ut ibi in chymum convertatur. Aliàs enim magni errores in facultatis naturalis functionibus fierent, dum cruda coctis miscerentur & vel cocta diutiùs in ventriculo retinerentur, vel cruda concoctis mista intempestivè ad intestina propellerentur. Quæ actionum naturalis facultatis perturbatio multum mali ægritudine molestatis corporibus, ut & sanis hominibus, gigneret.

CAP. XIV.

De reliquarum rerum non naturalium, quæ præter aerem adhibentur corporibus, in quibus morbi pituitosi jam facti sunt, idonea administratione.

HIs itaq; omnibus circa locum affectum in curatione morborum Chronicorũ, qui à pituita originem & materiam conjunctam sumpserunt, probè consideratis, deligimus cibum potumque talem, qui ab ægris assumptus non modò nihil pituitosæ superfluitatis, postquam à calore naturali perfectè alteratur, post se relinquit, verumetiam id, quod pituitosarum excretionum in corpore collectum & ultra debitum tempus retentum morbis materiam dedit, absumat atq; auferat. Tales cibos esse censemus, qui facilè à calore naturali coquuntur & non multum excrementitiorum humorũ generant, ut

ut caro agnorum annuorum, vitulorum, hœdorum, caponum, gallinarum, columbarum ſylveſtrium, coturnicum, perdicum, phaſianorum, attagenum, avicularum montanarum, animalia in ſiccis & montanis locis nutrita, gallorum teſtes, epata anſerum, pullorum, avicularum ſylveſtrium, extremitates pullorum, anſerum & avium pinguium juvenumque, cibi palato ſtomachoq; grati & benè præparati, piſces ſaxatiles, qui carnem friabilem & concoctu facilem habent, ova ſorbilia, uvæ maturæ, ficus maturæ, aſparagi, bulbi ſatis cocti, endivia, lactuca, juſcula carnium bubularum, caponum, gallinarum & carnium ſuprà commemoratarum: præterea erica, avena, farina triticea & polenta ex rudiore tritici farina in aqua aut brodiis pullorum carniumvé bubularum cocta. Quibus admiſcemus aut multa, aut pauca, aut nulla aromata, pro neceſſitate loci affecti & intentione no-

ſtra, ut ex regulis hactenùs poſitis patet. Panem cum ſeminibus carminativis & aromatis calefacientibus atque incidentibus ex farina triticea, pura, aut farris medulla optima, fermento & ſale præparatum atq; benè coctum, qui ætatem unius diei vel ad ſummum tridui habeat, exhibemus. Vinum concedimus hujuſmodi ægris tenue, vetus, defæcatum, odorum, fulvum & forte. Somnum diurnum & nocturnas vigilias illis nocere cenſemus. Cruditatem enim gignunt & pituitam augent, veluti etiam ille ſomnus facit, qui frequenter novem horas excedit. Somnus enim & vigilia utraq; ſi modum exceſſerint, calori naturali obſunt. Nam in nimio ſomno excretiones ultra debitum tempus retinentur intra corpus, à quibus calor naturalis coarctatur & facultates debilitantur. Sed nimis crebræ & longæ vigiliæ calorem naturalem diſſipant & debilitant, ut alimenta tardè & malè concoquat. Crebris

Somnus & vigilia.

Hip. lib. 2. de victu acutor: part. 12. lib. 2. Aph. part. 3.

bris exercitiis, quæ ante assumptionem ciborum, cùm excrementa per consuetas excretionum vias deposita sunt, fieri volumus, illiusmodi ægros indulgere jubemus. Eligimus verò ea exercitia, quæ vel sani obire consueverunt, vel per valetudinem sustinere possunt. Et sicuti ab otio illos omni studio arcere conamur: ita post cibum assumptum horam unam ab omni labore, exercitio meditationeque cessare eis admodùm utile est, modò illo tempore somno non indulgeant. Repleri cibo aut potu in morbis pituitosis ita, ut vel facultas naturalis adgravetur, vel membra naturali facultati servientia tendantur & comprimantur, valdè noxium est. Non enim robur corporis hoc modo ægro instauratur, sed morbi materia augetur & exacerbatur. Quanquam verò liberaliore alimento in hujusmodi morbis ægri uti possunt ac debent: tamen illos cavere oportet, ne, dum vitare student virium colla- *Inanitio & repletio.*

psum, in contrarium vitium incidant, quod eis minus periculi in Chronicis morbis afferre ait Hippocrates Libro 1. Aph. part. 4. quàm si nimis tenui victu uterentur. Nam idem parti-cula 17. ejusdem libri dicit sanos homines valetudinem suam certo periculo objicere & in morbos incidere, quando plus alimenti, quàm natura requirit, ventriculo suo ingerunt. Sicuti autem sanorum hominum calor naturalis, licet sit fortis, læditur à multitudine alimenti assumpti: ita in morborum Chronicorum curatione statuendum plus mali ex immodici cibi infarsione venire ægris, quandoquidem calor naturalis in eorũ corporibus debilis & antè materierum pituitosarum copia, qualitatibusque de statu roboris sui dejectus sit, quàm hominibus sanis ex abundanti alimento accidit. Contrà etiam crebræ multæque evacuationes, sive per sanguinis subtractionem, quocunque modo administratum, sive per purgan-

gantia, vomitum facientia, discutientia sudorificavé medicamenta fiant, calorem naturalem debilitant, corporis universi membra refrigerant & pituitosis malis obnoxia reddunt. Proinde vitandæ sunt: sicuti etiam creber vomitus, frequens balnei aerei usus, larga sudoris profusio, intempestiva & nimia Venus, fatigationem & languorem afferens exercitium, frictio sudorifica, somnus atque labor multus ante cibum assumptum atque in indigentia alimenti & longa inedia, tanquam capitales hostes meritò repelluntur ab iis, qui morbis Chronicis, à pituitosis humoribus excitatis, detinentur. Balnea tamen mineralia, quæ habent vim calefaciendi, attenuandi, incidendi, exiccandi, extrahendi & consumendi pituitosos humores, nō nocent. Animi deniq; affectus, qui animam dilatant, vitæ spirit⁹ recreant & calorē naturalē fovendo roborāt, *Affectus animi.*
ægris

ægris hominibus, qui pituitosis morbis vexantur, sicuti plurimum usum & evidens commodum præstant: Ita ii affectus, qui animum perturbant, coarctant, vitæ spiritus dissipant & refrigerant, calorem verò naturalem obtundunt & extinguunt, plurimum incommodi ac periculi inferre advertuntur.

DE RATIONE CVRANDI HVMA-NORVM CORPORVM morbos per bonam Diætam.

CAP. I.

De morborum Chronicorum, qui ex Melancholia fieri incipiunt, curatione per Diætam.

MOrbi Chronici, qui à melancholicis humoribus causam & essentiam suam habent, in duplici differentia sunt. Aut enim adhuc fiunt, aut jam facti sunt. Qui fiunt, eorũ aliqui ex fumosis qualitatibus tantùm: aliqui ex materia adhuc in locum affectum fluente originem sumere advertuntur. Sicuti autem illi, qui ex fumosis qualitatibus generantur, tan- *Morborum melancholicorũ divisio.*

tùm

tum in cerebro regnant & ex perturbatis sermonibus ineptisq; imaginatricis, ratiocinatricis & memoratricis facultatis actionibus apparent: Ita hi aut materiam, unà cum sanguine in omnes totius corporis particulas fluentem, aut principē aliquam particulam, subministrantia aut similaria membra occupantē, habent. Cognoscuntur autem ex facultatum actione, in instrumentalibus particulis læsa & quocunq; modo depravata, colore cutis & exeuntibus variè mutatis vel ultra justum tempus retentis. Cùm enim hic humor sit in primis qualitatibus frigidus & siccus: in secundis crassus, fœculentus, niger atq; erodens membra, quæ abeo præter naturam infestantur, quando ob humorum cruditatem recipit tenuem & ad fluendum idoneam consistentiam, torpent, indurantur, duris lividisque tumoribus defœdantur; tandem putrescunt & eroduntur membra, quæ hujus humoris fluxū præter naturam & consuetudinem suam ali-

quan-

quanto tempore sustinent. Sive itaq; in principio morborum, qui adhuc ex fumosa melancholici humoris evaporatione fiunt, sive in initio eorum affectuum, qui generari incipiunt ex materia melancholica, quæ tenui consistentia, nimia quantitate inconvenientivé qualitate peccat & fluxu fertur ad omnia toti' corporis membra vel aliquam particulam, quæ est ex numero principalium particularum, occupare incipit, statuerimus victus ratione idonea ægris hominibus auxilium ferre, ut ex morbis eluctentur & incolumitatem corporum integritatemq; virium recipiant: necessarium erit, ut omnia ad calefaciendum & humectandũ corpus ægri hominis serviant, quæcunq; in diæta talium morborũ, ut citra medicationẽ curentur, adhibebimus. Aer proinde habitationis eligatur melãcholico morbo cõflictari incipientibus hominib' calidus & humidus, qui non nihil obscurus sit, ne videlicet claro suo lumine Aer.

mine moveat humorem peccantem, ut ad fluxum pronior fiat. Si autem natura calidus & humidus aër ob anni temperiem contrariam haberi non posit, arte industriaq; nostra præparabitur. Fovebimus enim in fornace aut camino luculentum ignem lignis non admodùm aridis, sed quæ citra fumum ardere & humidi vaporis nō nihil aeri incluso miscere posint: aut aerem vaporarii contentum aridis lignis, in fornace ardentibus, calefaciemus & in cōtubernio calidam aquam de vase in vas fundemus & sæpe refundemus: Interdum ad caminum flagrantem in amplis lebetibus vel ahenis aquam valdè fervere & diu ebullire sinemus: interdum aquis medicatis, quæ vim calefaciendi & humectandi habent, pavimentum, sedilia aut pulvinaria in contubernio per crebras adspersiones irrigabimus. Possunt etiam frequenter folia ac flores recentes, modò anni tempus id fieri sinat, mensis, sellis & pulvinaribus

bus in conclavi calefacto insterni, & cùm emarcuerint atque exsiccati fuerint, iis ablatis novi viridesq; substitui. Vbi tamen ob cruditatem hic humor nimis tenuem & humidam consistentiam habet, qua ad motum & fluxum impetuosè concitatur, non tanto studio, quanto diximus fieri debere, aeris humectationi incumbemus: sed mediocriter siccando humiditatem materiæ melancholicæ consumere, cruditatem omnem auferre & coctione sufficienti humorem tenuem ad justam consistentiam redigere omni conatu studebimus: Contrà in nimia humoris melancholici crassitie non tam opera danda erit, ut humor peccans calefiat, quàm factu necessarium est, ut humectando & liquefaciendo ad tenuem consistentiam, quæ apta sit eductioni, eum immutemus. Quod tum maximè fieri addecet, quando melancholicus humor ob plurimã sanguineæ massæ ustionem augetur & morbos exci-

Cibus. tat. Cibus ægris, qui ex melancholiæ, consistentia, quantitate qualitatevè peccantis, evaporatione vel fluxu male habere incipiunt, convenire talis cēsetur, qui qualitate & facultate sua tum fumosas exhalationes, ad cerebrum tendentes, ab adscensu prohibere, tum calefaciendi & humectandi virtute humoris fluentis copiam minuere, neque ampliùs quippiam ei humori addere, qualitates verò frigidas & siccas, veluti etiam in tenui cōsistentia nimiam ejus humiditatem corrigere & alterare advertitur. Ea propter cibi convenientes ægris hominibus in ejusmodi morbis sunt ex radicibus pastinacæ, rapa, napi: ex seminibus cicera, eruca: ex fructibus uvæ dulces, aurea mala, amygdala dulcia, caricæ recentes & maturæ, dactyli maturi, pistacia, mora dulcia, nuces recentes, olivæ maturæ, oleum olivarum, cappares: ex animalibus caro anatis, anseris, coturnicum, columbarum domesticarum & sylvestrium, hœdorum, agnorum, perdicum, gallorum

lorum castratorum, phasianorum, pullorum gallinaceorum, epata animalium, adeps castratorum, butyrum, medulla animalium domesticorum, esui aptorum, testiculi gallinacei, vitelli ovorum, cibi saccharo cōditi, juscula carnium bubularū, cum aromatis calefacientibus cocta, jura galli veteris & post sufficientem coctionem cōtusi, brodia ex vino dulci, cum vitellis ovorū, mace, croco, Zingibere & saccharo præparata aut aliis aromatis, moderatè calefacientibus, cōdita; panis triticeus aut siligineus, benè fermentatus, cum aniso, cumino, fœniculo & sale, quando tenuitas humoris corrigenda venit, mistus & satis coctus. A cibis verò melancholicū sanguinē generātib⁹ ægri maximè sibi caveant. Tales apud nos medicos cēsentur esse præcoces, crudi & facilè putrescentes, cùm integrè maturuerunt, arborū fructus, brassica, lentes, caseus antiquus & valdè salit⁹, muria ex sale & aceto constans, panis ex furfure, avena, hordeo miliové fa-

psum, in contrarium vitium incidant, quod eis minus periculi in Chronicis morbis afferre ait Hippocrates Libro 1. Aph. part. 4. quàm si nimis tenui victu uterentur. Nam idem parti-cula 17. ejusdem libri dicit sanos homines valetudinem suam certo periculo objicere & in morbos incidere, quando plus alimenti, quàm natura requirit, ventriculo suo ingerunt. Sicuti autem sanorum hominum calor naturalis, licet sit fortis, læditur à multitudine alimenti assumpti: ita in morborum Chronicorum curatione statuendum plus mali ex immodici cibi infarsione venire ægris, quandoquidem calor naturalis in eorũ corporibus debilis & antè materierum pituitosarum copia, qualitatibusque de statu roboris sui dejectus sit, quàm hominibus sanis ex abundanti alimento accidit. Contrà etiam crebræ multæque evacuationes, sive per sanguinis subtractionem, quocunque modo administratum, sive per pur-

gan-

gantia, vomitum facientia, discutientia sudorificavé medicamenta fiant, calorem naturalem debilitant, corporis universi membra refrigerant & pituitosis malis obnoxia reddunt. Proinde vitandæ sunt: sicuti etiam creber vomitus, frequens balnei aerei usus, larga sudoris profusio, intempestiva & nimia Venus, fatigationem & languorem afferens exercitium, frictio sudorifica, somnus atque labor multus ante cibum assumptum atque in indigentia alimenti & longa inedia, tanquam capitales hostes meritò repelluntur ab iis, qui morbis Chronicis, à pituitosis humoribus excitatis, detinentur. Balnea tamen mineralia, quæ habent vim calefaciendi, attenuandi, incidendi, exiccandi, extrahendi & consumendi pituitosos humores, nō nocent. Animi deniq; affectus, qui animam dilatant, vitæ spirit⁹ recreant & calorē naturalē fovendo roborāt, *Affectus animi.*
ægris

ægris hominibus, qui pituitosis morbis vexantur, ſicuti plurimum uſum & evidens commodum præſtant: Ita ii affectus, qui animum perturbant, coarctant, vitæ ſpiritus diſsipant & refrigerant, calorem verò naturalem obtundunt & extinguunt, plurimum incommodi ac periculi inferre advertuntur.

DE RATIONE CVRANDI HVMANORVM CORPORVM morbos per bonam Diætam.

CAP. I.

De morborum Chronicorum, qui ex Melancholia fieri incipiunt, curatione per Diætam.

MOrbi Chronici, qui à melancholicis humoribus causam & essentiam suam habent, in duplici differentia sunt. Aut enim adhuc fiunt, aut jam facti sunt. Qui fiunt, eorũ aliqui ex fumosis qualitatibus tantùm: aliqui ex materia adhuc in locum affectum fluente originem sumere advertuntur. Sicuti autem illi, qui ex fumosis qualitatibus generantur, tantùm *Morborum melancholicorũ divisio.*

tum in cerebro regnant & ex perturbatis sermonibus ineptisq; imaginatricis, ratiocinatricis & memoratricis facultatis actionibus apparent: Ita hi aut materiam, unà cum sanguine in omnes totius corporis particulas fluentem, aut principẽ aliquam particulam, subministrantia aut similaria membra occupantẽ, habent. Cognoscuntur autem ex facultatum actione, in instrumentalibus particulis læsa & quocunq; modo depravata, colore cutis & exeuntibus variè mutatis vel ultra justum tempus retentis. Cùm enim hic humor sit in primis qualitatibus frigidus & siccus: in secundis crassus, fœculentus, niger atq; erodens membra, quæ abeo præter naturam infestantur, quando ob humorum cruditatem recipit tenuem & ad fluendum idoneam consistentiam, torpent, indurantur, duris lividisque tumoribus defœdantur; tandem putrescunt & eroduntur membra, quæ hujus humoris fluxũ præter naturam & consuetudinem suam aliquan-

quanto tempore sustinent. Sive itaq; in principio morborum, qui adhuc ex fumosa melancholici humoris evaporatione fiunt, sive in initio eorum affectuum, qui generari incipiunt ex materia melancholica, quæ tenui consistentia, nimia quantitate inconvenientivé qualitate peccat & fluxu fertur ad omnia toti⁹ corporis membra vel aliquam particulam, quæ est ex numero principalium particularum, occupare incipit, statuerimus victus ratione idonea ægris hominibus auxilium ferre, ut ex morbis eluctentur & incolumitatem corporum integritatemq; virium recipiant: necessarium erit, ut omnia ad calefaciendum & humectandũ corpus ægri hominis serviant, quæcunq; in diæta talium morborũ, ut citra medicationẽ curentur, adhibebimus. Aer proinde habitationis eligatur melãcholico morbo cõflictari incipientibus hominib⁹ calidus & humidus, qui non nihil obscurus sit, ne videlicet claro suo lu- Aer.

mine moveat humorem peccantem, ut ad fluxum pronior fiat. Si autem natura calidus & humidus aër ob anni temperiem contrariam haberi non pofsit, arte induftriaq; noftra præparabitur. Fovebimus enim in fornace aut camino luculentum ignem lignis non admodùm aridis, fed quæ citra fumum ardere & humidi vaporis nõ nihil aeri incluso mifcere pofsint: aut aerem vaporarii contentum aridis lignis, in fornace ardentibus, calefaciemus & in cõtubernio calidam aquam de vafe in vas fundemus & fæpe refundemus. Interdum ad caminum flagrantem in amplis lebetibus vel ahenis aquam valdè fervere & diu ebullire finemus: interdum aquis medicatis, quæ vim calefaciendi & humectandi habent, pavimentum, fedilia aut pulvinaria in contubernio per crebras adfperfiones irrigabimus. Poffunt etiam frequenter folia ac flores recentes, modò anni tempus id fieri finat, menfis, fellis & pulvinari-

bus

bus in conclavi calefacto insterni, & cùm emarcuerint atque exsiccati fuerint, iis ablatis novi viridesq; substitui. Vbi tamen ob cruditatem hic humor nimis tenuem & humidam consistentiam habet, qua ad motum & fluxum impetuosè concitatur, non tanto studio, quanto diximus fieri debere, aeris humectationi incumbemus: sed mediocriter siccando humiditatem materiæ melancholicæ consumere, cruditatem omnem auferre & coctione sufficienti humorem tenuem ad justam consistentiam redigere omni conatu studebimus: Contrà in nimia humoris melancholici crassitie non tam opera danda erit, ut humor peccans calefiat, quàm factu necessarium est, ut humectando & liquefaciendo ad tenuem consistentiam, quæ apta sit eductioni, eum immutemus. Quod tum maximè fieri addecet, quando melancholicus humor ob plurimã sanguineæ massæ ustionem augetur & morbos excitat.

lorum castratorum, phasianorum, pullorum gallinaceorum, epata animalium, adeps castratorum, butyrum, medulla animalium domesticorum, esui aptorum, testiculi gallinacei, vitelli ovorum, cibi saccharo cōditi, juscula carnium bubularū, cum aromatis calefacientibus cocta, jura galli veteris & post sufficientem coctionem cōtusi, brodia ex vino dulci, cum vitellis ovorū, mace, croco, Zingibere & saccharo præparata aut aliis aromatis, moderatè calefacientibus, cōdita, panis triticeus aut filigineus, benè fermentatus, cum aniso, cumino, fœniculo & sale, quando tenuitas humoris corrigenda venit, mistus & satis coctus. A cibis verò melancholicū sanguinē generātib⁹ ægri maximè sibi caveant. Tales apud nos medicos cēsentur esse præcoces, crudi & facilè putrescentes, cùm integrè maturuerunt, arborū fructus, brassica, lentes, caseus antiquus & valdè salit⁹, muria ex sale & aceto constans, panis ex furfure, avena, hordeo miliové fa-

ctus, tubera, fungi, caro balenarum, piscium veterum, sale conditorum & fumo siccatorum, thinnorum piscium, caro aprugna, bubula, caprina, cervina, leporina, vervecum antiquorum, carnes suillæ & omnes, quæ sale conditæ permulta tempora ita servantur vel etiam fumo macerantur, cochleæ, fungi: denique omnia, quæ crassum fæculentumq; sanguinem augere vel qualitates ejus intendere valent, ut sunt intestina animalium, lupini, grana pini, ventres animalium, crustæ panis superassatæ, epata animaliũ calidorum & siccorum, ova dura & in butyro frixa, ubera vaccina & cibi, qui nigro colore fumidisq; qualitatibus non tam propter necessitatem, quàm ut varietate delectent, epulonum oculos & palatum irritent, instruuntur: carnium assatarum extremitates valdè adustæ etiam melancholicas affectiones sentientibus nocumento sunt. Vbi tamen ex adustione flavæ bilis, ut fit inardentibus

tibus febribus, obstructionibus, quas putredo & inflammatio sequitur, ac corporibus, quæ in aere calido & sicco sæpe multumq; exercentur, præterea etiam calefacientibus & siccantibus cibis utuntur, hic humor generari advertitur: tum ejus evaporatio ad cerebrum, post ciborum reliquorum assumptionem, esu cytonicorum coctorum conditorumvè, pyrorum adstringentium, mespilorum, pomorum acetosorum, panis in aceto intincti, cumini, dauci, rutæ reprimitur. Hæc enim orificium ventriculi arctè constringi faciunt, ne fumidi vapores ad cerebrum mitti inter coquendum possint. Sicuti autem ægris, qui melancholicis affectionibus obnoxii fieri incipiunt propterea, quòd melancholicus humor suum statum naturalem non retinet, sed cõsistentia, multitudine qualitatevè peccat &, morbos suscitat fovetque, cõvenit in potu vinum vetus, album, lucidum, probè defæcatum & forte: Potus.

eunt, nimirum duabus à cœna horis elapsis, &, aurora indicâte diem, vicissim cubitu surgunt. Exercitiis medio crib9, quæ eorum ætati, viribus, sexui, professioni consuetudiniq; conveniunt, ut indulgeant tâtisper, donec mẽbra totius corporis æqualiter incalescunt & concitatus spiritus ex anhelitu crebriore cognóscitur, corporis verò vires neq; defatigatione, neque molesto dolore inde affici posśint, omnibus modis suadebimus. Nimium enim otium calorem naturalem debilitat, unde posteà superfluitatibus membra similaria scatent & solidæ particulæ refrigerantur exiccanturque, ut præmatura senecta obruantur ii, qui mediocriter exerceri refugiunt: Contra etiam nimium exercitium duriq; labores membra corporis exiccant & naturæ vires dissolvunt, ut lassitudo, siccitas & frigiditas illa excipiat. Cibo potuque ad satietatem repleri ejusmodi ægri nunquam debent. Inanitiones autem temerè in ejusmodi naturis

Exercitium & quies.

Inanitio & repletio.

tentare prudētis medici non eſt. Nam & difficulter fieri, & ægri nihil vel ad modùm parum commodi ex eis ſentire ſolent. Raro autem & nunquam, niſi ſumma urgeat neceſſitas, venæ ſectione hic humor, quando unà cum ſanguine in venis per totum corpus fertur, minuitur aut hirudinum appoſitione, menſium provocatione aut hæmorrhoidum apertione extrahitur. Interdum etiam, cùm nimia hujus humoris copia valdè infeſtare & moleſtare corpora ægra advertitur, juſculis galli antiqui vel ſerolactis incoquimus lupulum, capillum Veneris, Rheu Barbarum, centaureum minus, caſſutham, pulegium, thymum, fumariam, origanum, polypodii radicem, epithymum, ſenæ folia & ſimilia, quæ hunc humorem reſpiciunt, ſua facultate minuunt & extra corpus ducunt. Hæc juſcula ſale Indo vel ſale gemmæ modicè condimus & tepidè exhibemus aliquoties, ut paulatim humor alioqui tenax,

lentus

lentus & ad excernendum contumax educatur. Quod ut faciliùs fiat, vias eductioni aptas humectantibus, aperientibus, incidentibus & abluentibus præparare atque lubricas facere exhibitis pinguibus dulcibusq; juribus conamur. Venere moderata & balneis aquæ dulcis, in quibus non nimis multam moram trahunt, admodùm juvantur. Cùm itaq; per ætatem & leges pietatis honesto modo Venere uti possunt, ab illius usu multum commodi percipiunt. Ad quam cùm ob acrimoniam seminis stimulentur & irritentur, tempestivè legibus conjugii sese subjiciant, qui talibus morbis se obnoxios norunt. Balneis verò aquæ dulcis uti jejuno ventriculo tantisper, dum humores incalescunt & omnium membrorum cutis florido colore fulgere incipit, securè possunt: aliàs balnea talia nimiùm refrigerando nocerent: Sed à mineralibus thermis, ut sunt aluminosæ, sulphureæ, salsæ & similis fa-

cultatis, prorsus abstinere debet. Hæc enim eorum corpora nimis exiccant. Denique præcipiemus eis, ut animo tranquillo & læto, quantum per vitæ humanæ instabilem & quavis aura mutabiliorem fortunam conceditur, vivant: solitudinem fugiant: cum amicissimis sibi hominibus frequenter conversentur: colloquia jucunda & grata habeant; mœrorem, solicitudinem gravem, metum, iram, morosas contentiones, curas & cæteras animi passiones, quæ spiritus vitæ refrigerant & corpora exiccant, summo studio declinent. Quia autem & naturæ hominum respectu temperamenti, ætatis, virium, vitæ generis, sexus, consuetudinis, anni temporib. & regionis plurimùm variant: ac neq; una eademq; quantitate humorũ melancholicorum copia in corporibus humanis colligitur, neq; eorundem una eademq; consistentia, qualitas malignitasque advertitur: ideo etiam melancholicorum morborũ magna est

in

in vehementia, symptomatib⁹ & exitu varietas, quã auget particularum in corpore humano multitudo, temperies, facultas, sensus & functio. Huic varietati accedit id, quòd morbi ipsi increscunt, cõsistunt, minuuntur, producuntur & adbreviantur: ut propterea medici etiam quatuor morborum melancholicorum tempora constituerint, in quibus materiæ minui & alterari, residuum concoqui & resolvi, membra verò & receptacula hujus humoris non minùs, quàm facultates & vitæ spiritus, roborari per laudabilem diætam necesse est. Medici itaq; prudentis erit antè dictas regulas memori mente tenere & diætam pro morbi tẽporib, cæterarumq; circumstantiarum varietate instituere, si morbi melancholici ex materierum collectione sedem in aliqua humani corporis particula figere ceperint. Fieri enim non potest, ut eadẽ victus ratio apud omnes personas, quæ Chronicis morbis infestãtur, propter

Quatuor morborum melancholicorũ tempora.

me-

melancholicorum humorum consistentiam, quantitatem aut qualitatem peccantem, institui & observari per omnia durantis morbi tempora possit, sicuti in sequentibus capitibus, juvante DEI Numine, copiosiùs ostendemus.

CAP. II.

Victus ratio, qua expugnantur morbi Chronici, qui ex melancholicis humoribus jam facti sunt.

Morborum, qui ex melancholiâ jã facti sunt, divisio.

MOrbi Chronici, qui materialem & essentialem causam habent humorem melancholicum, multitudine malignavè qualitate peccantem, aut totum corpus occuparunt, aut in aliqua ejus particula, in qua secundum naturam vel præter naturam resederunt materiæ, hærent & actiones vitæ conversationiq; hominum

num necessarias lædunt. Quando humor iste propter essentiæ suæ cruditatem & tenuitatem sanguini mistus putret & per totum corpus in venis arteriisque fertur, excitatur febris quartana, continua, quæ symptomata habet gravissima, nimirum vehementem totius corporis ardorem, fuscum & fœdum cutis colorem, asperitatem nigredinemq; linguæ, sitim immodicam & alienationẽ mentis: Quando verò extra vasa putrescit, tum quartana intermittens quartoquoque die ægrum hominem tam graviter affligit, ut in quorundam ægrorum corporibus paroxysmum suum ad viginti quatuor penè horas extendat. Cognoscitur tum ex periodo paroxysmi & vehementi rigore, qui ardorem præcedit: tum sicco acrique ardore, qui æqualiter omnia totius corporis membra urit. Si autẽ diutiùs duret: aut cutem nigro colore inficit, aut obstructioni & colicos cruciatus in intestinis concitat, aut lienem

lienem tumore & duritie adeò deformat, ut scirrhus & aqua inter cutem hanc febrem excipiant. In receptaculis, quibus maxima hujus humoris pars secundum naturam colligitur & per expultricem virtutem, dum suo robore fruitur instrumentaque sana habet, justo tempore extra corpus cum sicco excremento expellitur, ne sanguinis massam suo colore inficiat & totius corporis cutem fœdo colore inquinet, cùm nimia ejus quantitas coacervatur, ut fit, quando aut propter hujus humoris crassitiem meatus & viæ obstruuntur, ne humoris illius superfluitas legitimo tẽpore excernatur: aut alimenta assumuntur, quæ melancholicorum succorum magnam copiam in corpore humano producunt, qua neq; natura corporis ad sui nutritionem indiget, neq; sanum statum retinere valet, si vis expultrix non sufficiat suo robore ad eorum excrementorum eductionem: necessariò lienis dolores,

res, tumores, obstructiones, febrem, scirrhum hydropemque excitat: At quando hic humor cum sanguine vel perse fluens in aliquam corporis partem, quæ est instrumentalis & princeps vel similaris aut subservi-ens, præter naturam fertur & ibidem suam sedem figit, gravium & periculosorum morborum causam essentialem constituit, dum mutationem naturalis & sani temperamenti in illa particula, quam hic humor occupavit, suscitat & facultatum, instrumentorum actionumq; gravissimas læsiones producit. Hanc nobis ostendit primò actionum, quæ à facultatibus, dum particula sano temperamento fruebatur & instrumenta benè affecta habebat, perficiebantur, abolitio, diminutio aut depravatio, quæ tum pro materiæ consistentia, multitudine & malignitate: tum pro substantia, temperie, robore, structura, sensu & functione particulæ aliàs magna, alias parva est.

Se-

Solent enim ad mutationem têmperamenti & affectionem instrumentorum interdum languidæ, interdum nullæ, interdum leviter gravitervè depravatæ actiones sequi in illa particula, quam humor peccans occupavit. Deinde qualitates, quæ particulæ malè affectæ tanquam symptomata, accedunt. Sunt autem potissimùm duo, videlicet dolor durus, inæqualis, neq; acutus, neq; pungens, sed cum tumore gravans ac tendens: & color lividus, niger atq; fœdus, qui aliquando in cute totius corporis, aliquando tantùm in superficie patientis particulæ apparet. Tertiò excretiones mutatæ aut ultra debitum tempus retentæ. Multitudinem enim hujus humoris in corpore ægro collectam, arguit color niger excrementorum siccorum, quæ per alvum ab expultrice facultate secernuntur. Qualitates verò noxias hujus humoris expultricis virtutis debilitas indicat. Humor enim sua frigiditate co-

ctiones

ctiones impedit & excretiones retardat, quandoquidem sua frigiditate & siccitate neq; à calore naturali facilè superatur, neq; nutritioni aptus fieri, neq; facilè extra corpus propelli potest. Quæ autem facilè à caloris naturalis coctrice virtute in ventriculo & singulis totius corporis particulis alterantur, ut velociter nutriant: eorum etiam excrementa, mediante calore naturali, per naturalis facultatis expultricem virtutem celeriter excernuntur. Cognito morbo ac qualitate morbi, qui ex melancholico humore, in particula affecta collecto, jam factus est, statim videmus contrariæ facultatis & qualitatis diætam institui debere apud ægrum, quem integræ sanitati restituere cupimus. Proinde ante omnia deligimus ei habitationem idoneam, quæ habet aerem clarum, tenuem & qualitate calida humidaque instructum. Si propter anni tempus hujusmodi aere destituamur, diligenti Hip. lib. 2. Aph. part. 22. Aer.

suasu monituq; præparandus erit eo pacto, quo melancholicis morbis, qui incipiunt fieri aerẽ habitationis præparari in præcedenti capite ostendimus. Cibi substantia friabiles, concoctu faciles & boni succi, qui videlicet minimum melancholici humoris & multum boni sanguinis, postquam in prima ventriculi coctione alterati in epate magis elaborantur, ægro corpori præbent, celeriter transeunt & absq; multo conatu eorum excrementa dejiciuntur, ægro offeruntur. Tales sunt ex herbis, atriplex, beta, malva, mercurialis, borrago, buglossum, asparagus, lupus salictarius, polium, thymus, menta, mentastrum, nasturtium, origanum, anethum, fœniculum, apium, cichorii flores: ex animalibus pisces saxatiles & carnem friabilem habentes, extremitates avium montanarum & domesticarum, caro attagenum, perdicum, phasianorum, caponum, gallinarum, hœdorum, ovorum lutea,

Cibus.

panis

panis benè confecti & inclibano sufficienter cocti medulla pura, cappares in aceto macerati aut sale conditi, acetum melle mixtum: ex seminibus discutientibus flatus, quos hic humor penè semper in corporibus ægris excitat, anisum, cuminum, carui, daucus, fœniculum, cardamomum, ruta, sinapi, cremor ptisanæ & cibi cum cinnamomo, mace, aromatis aliis saleq; mediocriter conditi, præsertim juscula caponum, gallinarū pinguium, perdicum & carnium bubularum. A cibis verò substantia duris, viscidis, tenacibus, concoctu difficilibus, tardè ad excretionem descendentibus, frigidis & siccis, qui tum ex sua substantia plurimum melancholici succi præbent, cùm eorum chylus coctus in epate elaboratur: tum sua facultate & qualitate corpora humana refrigerare & exiccare, humores verò melancholicos exacerbare valent, summo studio abstinendum. Hujus generis cibos in præcedenti

capite commemoravimus plurimos, quibus hoc loco addimus nimium acetosorum eduliorum usum, aures, guttura & intestina animalium, milium, orizam, panicum, fabas siccas, carnes gruis, mora acida, limonum, succum, cibos nigro colore infectos, olivas immaturas, avenæ polentam & ejus juscula frequenter sumpta.

Vide Galenum lib. 3. de Locis affectis cap. 7.

Potus. Propotu habeant vinum album, clarum, tenue, mediocris ætatis, quod calefacere & humectare, humorum melancholicorum crassitiem attenuare, coctionem juvare & urinam provocare possit. Crassa verò, nigra, recentia, austera & adstringentia vina, sicuti etiam crassam fœculentamq; cerevisiam ac omnem potum, qui humores corporis humani refrigerare valet, vitent. Hæc enim coctiones impediunt & excrementa ultra justum tempus detinere in intestinis solent, ut Plin. Lib. naturalis historiæ cap. 6. testatur.

Somnus & vigiliæ. Somno liberius indulgere possunt, quia vigi-

vigiliis, siquidem hæ corpus refrigerant & exiccant, quando nimis lõgæ sunt: ille verò humores concoquit, corpora calefacit & humectat, si legitimo tempore, videlicet noctu, & externis corporum ægrorum membris benè munitis, in loco idoneo, qui etiam calidus & humidus sit, fiat. Exercitia mediocria & consueta illis neutiquam nocent. Calefaciunt enim corpora & humores frigidos crassósque coquunt, attenuant atque absumunt: excretiones etiam superfluitatum promovent. Ægri igitur si per valetudinem & anni temperiem eis concedatur, utantur deambulationibus, equitationibus, vectionibus per loca amœna, virore grato & florum variorum colore animum recreantia, navigationibus per flumina dulcia & in rippis arborum herbarumque decore delectantia. A consuetis studiis neque omninò, neque subitò abstrahantur, quanquam illis incumbere non tanto

Exercitium & quies.

læ enim cum ſcarificatione appoſitæ in ægritudinibus, quæ à melancholia oriuntur, ægris hominum corporibus plus nocumenti, quàm commodi, afferunt eam ob rem, quòd calidus, ſubtilis & tenuis ſanguis, qui promptè tractioni cucurbitularum paret, extrahitur ex ſimilaribus membris & craſſus ſanguis remanet, ſicuti in alio libro, in quo agimus de ſymptomatibus, quæ malo ſcarificatui ſupervenerunt, apertè declaravimus. Hæmorrhoidum apertio & hiridinum appoſitio, ſicuti etiam menſium provocatio, in hujuſmodi affectionibus aliquid momenti habent: verùm tamen illud tantum non eſt, ut temerè, niſi natura ad eas venas humorem melancholicum ex longa conſuetudine trudat, tentari debeat. Frictiones modicæ, raræ & molles tutò fieri poſſunt: multæ verò, crebræ & ſudorificæ nequaquam. Subtile enim humorum, in ſimilaribus particulis, contentorum, reſol-

ſolvitur, cæteri humores remanēt ac ſpiſſiores fiunt. Coitus moderatus, tempeſtivus & licitus plurimum ad eorum ſanitatem facit, modò ei operam dare ægri per valetudinem poſſint. Balneum aquæ dulcis, poſt aliqualem humorum melancholicorum coctionem, minutionem & diſſipationem, illis ad valetudinem recuperandam multum præſidii & auxilii confert, teſte Galeno, qui mediante victu, qui calefaceret & humectaret ægri corpus, morbum ex melancholia oriri incipientem; & nondum confirmatum, ſolo balnei, ex aquis dulcibus facti, uſu depuliſſe & ægro ſanitatem integram ſe reddidiſſe refert. Ad ſatietatem verò æger nunquam alimentis reficiatur, quòd ſatietas frigidorum humorum copiam augeat & plus fæculenti ſanguinis in corporibus humanis producat: ſed frugali & medioeri cibo potuq; qui poſſit à calore naturali confici, alterari & in bonum ſanguinem con-

lienem tumore & duritie adeò deformat, ut ſcirrhus & aqua inter cutem hanc febrem excipiant. In receptaculis, quibus maxima hujus humoris pars ſecundum naturam colligitur & per expultricem virtutem, dum ſuo robore fruitur inſtrumentaque ſana habet, juſto tempore extra corpus cum ſicco excremento expellitur, ne ſanguinis maſſam ſuo colore inficiat & totius corporis cutem fœdo colore inquinet, cùm nimia ejus quantitas coacervatur, ut fit, quando aut propter hujus humoris craſsitiem meatus & viæ obſtruuntur, ne humoris illius ſuperfluitas legitimo tẽpore excernatur: aut alimenta aſſumuntur, quæ melancholicorum ſuccorum magnam copiam in corpore humano producunt, qua neq; natura corporis ad ſui nutritionem indiget, neq; ſanum ſtatum retinere valet, ſi vis expultrix non ſufficiat ſuo robore ad eorum excrementorum eductionem: neceſſariò lienis dolo-

res,

res, tumores, obſtructiones, febrem, ſcirrhum hydropemque excitat: At quando hic humor cum ſanguine vel perſe fluens in aliquam corporis partem, quæ eſt inſtrumentalis & princeps vel ſimilaris aut ſubſerviens, præter naturam fertur & ibidem ſuam ſedem figit, gravium & periculoſorum morborum cauſam eſſentialem conſtituit, dum mutationem naturalis & ſani temperamenti in illa particula, quam hic humor occupavit, ſuſcitat & facultatum, inſtrumentorum actionumq; graviſſimas læſiones producit. Hanc nobis oſtendit primò actionum, quæ à facultatibus, dum particula ſano temperamento fruebatur & inſtrumenta benè affecta habebat, perficiebantur, abolitio, diminutio aut depravatio, quæ tum pro materiæ conſiſtentia, multitudine & malignitate: tum pro ſubſtantia, temperie, robore, ſtructura, ſenſu & functione particulæ aliàs magna, alias parva eſt.

lienem tumore & duritie adeò deformat, ut scirrhus & aqua inter cutem hanc febrem excipiant. In receptaculis, quibus maxima hujus humoris pars secundum naturam colligitur & per expultricem virtutem, dum suo robore fruitur instrumentaque sana habet, justo tempore extra corpus cum sicco excremento expellitur, ne sanguinis massam suo colore inficiat & totius corporis cutem fœdo colore inquinet, cùm nimia ejus quantitas coacervatur, ut fit, quando aut propter hujus humoris crassitiem meatus & viæ obstruuntur, ne humoris illius superfluitas legitimo tẽpore excernatur: aut alimenta assumuntur, quæ melancholicorum succorum magnam copiam in corpore humano producunt, qua neq; natura corporis ad sui nutritionem indiget, neq; sanum statum retinere valet, si vis expultrix non sufficiat suo robore ad eorum excrementorum eductionem: necessariò lienis dolores,

res, tumores, obstructiones, febrem, scirrhum hydropemque excitat: At quando hic humor cum sanguine vel perse fluens in aliquam corporis partem, quæ est instrumentalis & princeps vel similaris aut subservi- ens, præter naturam fertur & ibi- dem suam sedem figit, gravium & periculosorum morborum causam essentialem constituit, dum mutatio- nem naturalis & sani temperamenti in illa particula, quam hic humor occupavit, suscitat & facultatum, instrumentorum actionumq; gravis- simas læsiones producit. Hanc nobis ostendit primò actionum, quæ à fa- cultatibus, dum particula sano tem- peramento fruebatur & instrumenta benè affecta habebat, perficiebantur, abolitio, diminutio aut depravatio, quæ tum pro materiæ consistentia, multitudine & malignitate: tum pro substantia, temperie, robore, structura, sensu & functione par- ticulæ aliàs magna, alias parva est.

So-

Solent enim ad mutationem temperamenti & affectionem instrumentorum interdum languidæ, interdum nullæ, interdum leviter graviterve depravatæ actiones sequi in illa particula, quam humor peccans occupavit. Deinde qualitates, quæ particulæ malè affectæ tanquam symptomata, accedunt. Sunt autem potissimùm duo, videlicet dolor durus, inæqualis, neq; acutus, neq; pungens, sed cum tumore gravans ac tendens: & color lividus, niger atq; fœdus, qui aliquando in cute totius corporis, aliquando tantùm in superficie patientis particulæ apparet. Tertiò excretiones mutatæ aut ultra debitum tempus retentæ. Multitudinem enim hujus humoris in corpore ægro collectam, arguit color niger excrementorum siccorum, quæ per alvum ab expultrice facultate secernuntur. Qualitates verò noxias hujus humoris expultricis virtutis debilitas indicat. Humor enim sua frigiditate co-

ctiones

ctiones impedit & excretiones retardat, quandoquidem sua frigiditate & siccitate neq; à calore naturali facilè superatur, neq; nutritioni aptus fieri, neq; facilè extra corpus propelli potest. Quæ autem facilè à caloris naturalis coctrice virtute in ventriculo & singulis totius corporis particulis alterantur, ut velociter nutriant: eorum etiam excrementa, mediante calore naturali, per naturalis facultatis expultricem virtutem celeriter excernuntur. Hip. lib. 1. Aph. part. 12. Cognito morbo ac qualitate morbi, qui ex melancholico humore, in particula affecta collecto, jam factus est, statim videmus contrariæ facultatis & qualitatis diætam institui debere apud ægrum, quem integræ sanitati restituere cupimus. Proinde ante omnia deligimus ei habitationem idoneam, quæ habet aerem clarum, tenuem & qualitate calida humidaque instructum. Aer. Si propter anni tempus hujusmodi aere destituamur, diligenti

suasu monituq; præparandus erit eo pacto,quo melancholicis morbis, qui incipiunt fieri aerē habitationis præparari in præcedenti capite ostendimus. Cibus. Cibi substantia friabiles, concoctu faciles & boni succi, qui videlicet minimum melancholici humoris & multum boni sanguinis, postquam in prima ventriculi coctione alterati in epate magis elaborantur, ægro corpori præbent,celeriter transeunt & absq; multo conatu eorum excrementa dejiciuntur, ægro offeruntur. Tales sunt ex herbis, atriplex, beta, malva, mercurialis, borrago, buglossum, asparagus, lupus salictarius,polium, thymus, menta, mentastrum, nasturtium, origanum, anethum, fœniculum, apium, cichorii flores: ex animalibus pisces saxatiles & carnem friabilem habentes, extremitates avium montanarum & domesticarum, caro attagenum, perdicum, phasianorum, caponum, gallinarum, hœdorum, ovorum lutea,

panis

panis benè confecti & inclibano sufficienter cocti medulla pura, cappares in aceto macerati aut sale conditi, acetum melle mixtum: ex seminibus discutientibus flatus, quos hic humor penè semper in corporibus ægris excitat, anisum, cuminum, carui, daucus, fœniculum, cardamomum, ruta, sinapi, cremor ptisanæ & cibi cum cinnamomo, mace, aromatis aliis saleq; mediocriter conditi, præsertim juscula caponum, gallinarū pinguium, perdicum & carnium bubularum. A cibis verò substantia duris, viscidis, tenacibus, concoctu difficilibus, tardè ad excretionem descendentibus, frigidis & siccis, qui tum ex sua substantia plurimum melancholici succi præbent, cùm eorum chylus coctus in epate elaboratur: tum sua facultate & qualitate corpora humana refrigerare & exiccare, humores verò melancholicos exacerbare valent, summo studio abstinendum. Hujus generis cibos in præcedenti

Vide Galenum lib. 3. de Locis affectis cap. 7. capite commemoravimus plurimos, quibus hoc loco addimus nimium acetosorum eduliorum usum, aures, guttura & intestina animalium, milium, orizam, panicum, fabas siccas, carnes gruis, mora acida, limonum, succum, cibos nigrocolore infectos, olivas immaturas, avenæ polentam & ejus juscula frequenter sumpta.

Potus. Propotu habeant vinum album, clarum, tenue, mediocris ætatis, quod calefacere & humectare, humorum melancholicorum crassitiem attenuare, coctionem juvare & urinam provocare possit. Crassa verò, nigra, recentia, austera & adstringentia vina, sicuti etiam crassam fœculentamq; cerevisiam ac omnem potum, qui humores corporis humani refrigerare valet, vitent. Hæc enim coctiones impediunt & excrementa ultra justum tempus detinere in intestinis solent, ut Plin. Lib. naturalis historiæ cap. 6. testatur.

Somnus & vigiliæ. Somno liberiùs indulgere possunt, quã vigi-

vigiliis, siquidem hæ corpus refrigerant & exiccant, quando nimis lõgæ sunt: ille verò humores concoquit, corpora calefacit & humectat, si legitimo tempore, videlicet noctu, &, externis corporum ægrorum membris benè munitis, in loco idoneo, qui etiam calidus & humidus sit, fiat. Exercitia mediocria & consueta illis neutiquam nocent. Calefaciunt enim corpora & humores frigidos crassósque coquunt, attenuant atque absumunt: excretiones etiam superfluitatum promovent. Ægri igitur si per valetudinem & anni temperiem eis concedatur, utantur deambulationibus, equitationibus, vectionibus per loca amœna, virore grato & florum variorum colore animum recreantia, navigationibus per flumina dulcia & in rippis arborum herbarumque decore delectantia. A consuetis studiis neque omninò, neque subitò abstrahantur, quanquam illis incumbere non tanto

Exercitium & quies.

conatu eos volumus per adflictæ valetudinis tempus, quanto eis occupabantur, dum valetudine integra fruebantur. Subita enim mutatio periculosa: & nimia otia corpora exerceri solita valdè refrigerant humorumq; frigidorum superfluitatem nimiam in illis producunt. Inanitionum universalium usum corpora ægra ob hujus humoris tum crassam & gravem consistentiam, tum frigidam & siccam qualitatem, non benè tolerant. Nam sanguis crassus in venæ sectione, nisi hic humor sit crudus, tenuis & diffusus per venarum totum corpus peragrantium cavitates, difficulter exit, sed subtilis & purus, in cujus locum trahitur crassus & impurus, quem extra venas longè abesse tutius & utilius ægro foret. Emisso enim sanguine puro & subtili, membra valdè refrigerantur & manifestè exiccantur. Ad purgantium medicamentorum vim humor melancholicus, ob suam crassitiem

Inanitio & repletio.

tiem & contumaciam, rarò aut difficulter movetur, neq; eorum efficacem trahendi & expellendi facultatẽ sequitur. Imò quoties natura sua sponte vel irritata medicamẽto eum in magna copia excernit, ferè semper vitæ humanæ periculum necis adesse ostendit. Quamobrem Hippocrates tum libro 4. Aphor. part. 21. dejectiones nigras, qualis est sanguis niger, sponte venientes, sive cum febre sive sine febre, malas & tantò pejores esse, quantò colores, quos pravos æstimat, plures fuerint: à medicamenti verò purgantis haustu tantò meliores esse, quantò plures fuerint in illis colores, qui non pravi censentur: tum lib. 5. Aphor. part. 1. indicat ex nimia purgatione, cum elleboro facta, si corripiat ægrum convulsio, signum eam instantis mortis esse pronuntiat. Quæ autem de universalib⁹ evacuationib⁹ hîc attulim⁹: eadem etiam de particularibus evacuandi modis tenenda sunt. Cucurbitu-

læ enim cum ſcarificatione appoſitæ in ægritudinibus, quæ à melancholia oriuntur, ægris hominum corporibus plus nocumenti, quàm commodi, afferunt eam ob rem, quòd calidus, ſubtilis & tenuis ſanguis, qui promptè tractioni cucurbitularum paret, extrahitur ex ſimilaribus membris & craſſus ſanguis remanet, ſicuti in alio libro, in quo agimus de ſymptomatibus, quæ malo ſcarificatui ſupervenerunt, apertè declaravimus. Hæmorrhoidum apertio & hirudinum appoſitio, ſicuti etiam menſium provocatio, in hujuſmodi affectionibus aliquid momenti habent: verùm tamen illud tantum non eſt, ut temerè, niſi natura ad eas venas humorem melancholicum ex longa conſuetudine trudat, tentari debeat. Frictiones modicæ, raræ & molles tutò fieri poſſunt: multæ verò, crebræ & ſudorificæ nequaquam. Subtile enim humorum, in ſimilaribus particulis, contentorum, reſol-

solvitur, cæteri humores remanēt ac spissiores fiunt. Coitus moderatus, tempestivus & licitus plurimum ad eorum sanitatem facit, modò ei operam dare ægri per valetudinem possint. Balneum aquæ dulcis, post aliqualem humorum melancholicorum coctionem, minutionem & dissipationem, illis ad valetudinem recuperandam multum præsidii & auxilii confert, teste Galeno, qui mediante victu, qui calefaceret & humectaret ægri corpus, morbum ex melancholia oriri incipientem, & nondum confirmatum, solo balnei ex aquis dulcibus facti, usu depulisse & ægro sanitatem integram se reddidisse refert. Ad satietatem verò æger nunquam alimentis reficiatur, quòd satietas frigidorum humorum copiam augeat & plus fæculenti sanguinis in corporibus humanis producat: sed frugali & mediocri cibo potuq;, qui possit à calore naturali confici, alterari & in bonum sanguinem con-

verti, cōtentus sit. Ita enim calor naturalis mirificè recreabitur, laudabilis coctio fiet & humorum melancholicorū tum copia minuetur, tum qualitates noxiæ alterabuntur. Animi deniq; moderatione per omne morbi tempus tali eos uti decet, ut mœrorem, metum, solicitudinem, graves curas, anxios conatus, meditationes crebras & commentationes nimis sedulas summo studio declinent. Lætitiam verò & animi tranquillitatem affectent. Quem in finem solitudinem fugiant, jocis & ludicris rebus, quantum ætas, professio & locus permittunt, mentem oblectent; familiarium de rebus lætis colloquia frequentent: cantilenis jucundis & gratis musicis instrumentis & morionum salibus facetiisq; hilaritatem animorum excitent.

Animi affectus.

CAP.

CAP. III.

Quid loci affecti temperamentum in præscriptione diætæ fieri jubeat.

HÆc autem de victu apud melancholicos ægros instituendo præcepta, ne nimium absumendo de hujusmodi humoribus, nevè plus, quàm satis est, alterando eorum qualitates, in alium affectum ægrum deducamus, primùm naturali hominis ægri, temperamento moderamur. Quod si melancholicum à prima hominis origine fuerit: neque nimia alterandi facultate prædita alimenta admittit, neque longo tempore hanc diætam requirit, quæ humores melancholicos consumit, aufert atque alterat, Sin aliud temperamentum à naturali constitutione corporis æger habeat: & validè alterare, & longo tempore diætam institutam observare audacterq;

Temperamentum ægri hominis quid requirat.

ĉterque materiam copia peccantem minuere atque subducere cogimur. Quod fit, quando exhibemus ægro ea, quæ cum sano illius temperamento familiaritatem habent, bonum sanguinem generant & melancholicos humores calefaciunt, humectant, incidunt, attenuant, dissipant, consumunt aut educunt per vias, quas natura excretioni illorum humorum destinavit. Deinde virium, ætatis, vitæ generis, sexus & consuetudinis rationem apud istiusmodi ægros omninò habendam novimus, quoties bona victus ratio institui debet, de quibus pauca ordine commemorabuntur.

CAP. IV.

Vires ægri quid in electione diætæ moveant medicum.

VIribus in ægro corpore suum robur

bur habentibus, quod sufficiat coctioni, alterationi, consumptioni & eductioni materierum peccantium, in quibus morbi essentia præcipuè consistit, nil non de antè dictis tentamus methodo & via certa, ut hostem corporis humani debilitemus. Coctionem itaq; & alterationem materierum melancholicarũ initio molimur. Quæ si succedat, benè est, sin malignitate vel multitudine conatibus nostris resistere advertatur, ejus consumptioni, minutioni & correctioni, deinde etiam eductioni studemus. Hoc facimus tantisper, dum scopum actionum nostrarum, qui est exoptata hominis ægri sanitas, cõtingimus. Cùm autem vires infirmæ & prostratæ sunt, moderatè agere jubemur, quæ morbi curatio requirit. Quare, omissa tum plena cibatione, tum larga potus assumptione, vires ante omnia fovere atque reficere, neutiquam verò multitudine alimẽtorum necessariorum obruere tentabi-

tabimus. Exercitia verò viribus integris libera permittemus, cùm in earum debilitate vix ægris mollem & brevem obambulationem, vectionem aut motionem iniungamus. Imò plerumq;, omissis his exercitiis, tantùm molles frictiones linteaminibus albis, mollibus & tepidis fieri mandamus.

CAP. V.

Quid ægri ætas in talium morborum diæta requirat.

SIc alia ætas aliis tum alimentis, tum exercitiis magis apta est. Puerorum enim, qui melancholicis affectibus ex temperamento naturali aut mala vivendi consuetudine adquisito corripiuntur, corpora alimentis calidis & humidis mediocriter alenda & non nimiùm excernenda, neq; valdè fricanda sunt. Subtiles

les enim eorum humores facilè inflammantur & exiccantur. Vnde melancholici humoris copia augeretur & qualitates intenderentur. Adolescentū & juvenum corpora solidioribus, calidioribus & fortioribus alimentis, quæ facultate calefaciendi & humectandi humores obtinent, exercitiisque durioribus, quàm pueri, corrigenda erunt, quando morbi melancholici materiæ hoc ipsum requirent. Consistentium ætas, in qua melancholia cæteris humoribus dominatur, non tàm validè alterantia, neq; fortiter subducentia, neque tam dura exercitia in diminutione, subtractione & alteratione materierum melancholicarum, quando quantitate vel qualitate sua morbum fovent, admittit, sicuti ætas juvenilis. Ætas senum calefacientia & humectantia mediocris efficaciæ: exercitia verò aut pauca aut nulla fert, ob virium debilitatem. Eorum itaque loco frictiones idoneæ & fomen-

mentationes per dulcis aquæ tepidæ balnea adhibeantur.

CAP. VI.

Quid sexus ratione fiat in melancholicorum morborum diæta.

PОrrò virilia corpora, quando tentantur morbis melancholicis, fortioribus alterationibus & crebrioribus evacuationibus durioribúsque exercitiis tentari possunt, quàm fœminea, quibus hoc morbi genus molestiam gignit, præsertim quæ sunt valdè humida, mollia, tenera & debilia. Hæc enim leviter calefacientibus & mediocriter humectantibus optimè juvantur: blanda etiam & rara exercitia cum multo suo commodo sustinent. Contra alimentis fortiter alterantibus, valdè incidentibus, subtiliantibus, dissipantibus & subducentibus materias morborum me-

melancholicorum perinde, ut duris & frequentibus exercitiis evidenter lædi solent.

CAP. VII.

De consuetudine hominum, qui melancholicis morbis adfliguntur, in victus præscriptione observanda & mutanda.

CONsuetudo vivẽdi multum profectò momenti habet tum ad productionem materierum melancholicarum, tum ad exacerbationẽ morborum, quos eædem materiæ excitant atq; fovent: præsertim si temperamentum, ætas, anni tempus & exercitia sive labores illam vivendi cõsuetudinem juvent. Omnibus itaq; rationibus operam dabit prudens medicus, ut cõsuetudinem vitæ, quæ nuper suscepta materias hujusmodi producit, à quibus morbi melancho-

lici facti sunt, citra moram immuten. Differre enim in talibus corporibus mutationem diætæ periculosum est, cùm morbo indulgeatur & ejus symptomata exacerbentur: Quæ verò longo tempore duravit & habitum jam corpori induxit, eam ut difficilè mutare valemus: ita subitò relinquendam non suademus. Subita enim mutatio periculosa est perinde, atque tutò mutatio suscipitur, quæ paulatim alterationem inducit. Id cùm in omnibus mutationibus verum sit, maximè præcipueque valet tum, cùm de contrario in contrarium procedendum, ut docet Hipp. libro 2. de victu morborum acutorum & libro 2. Aphor. part. 50. Ante omnia autem tristitiam & mœrorem, quæ ex consuetudine & sponte, citra causam, suscipiuntur vel ex aliqua causa oriuntur & diu durant, eorum animis eximere studebimus: quandoquidem hi animorum affectus, perinde solicitudines atque pa-

 vores,

vores, in temperaturis frigidis & siccis plurimum valent ad producendos, irritandos & multiplicandos hujusmodi humores, qui morbis melancholicis causam essentialem præbent & eosdem fovent. Quæ res movit non nullos prudentes, ut dicerent melancholiam balneum Diaboli esse. Plurima enim inde oriuntur mala, ut disertè testatur Menander cùm inquit:

πολλῶν φύσει ὄντων πᾶσιν ἀνθρώπων κακῶν
ὄντων μέγιστον ἐστὶν ἡ λύπη κακόν;

Cui adstipulatur Antiphanes his verbis: ἅπαντα λυπῶν ἐστιν ἀνθρώπων νόσος.
Vbi itaque solicitudines & tristitia, quibus malis plerùmque hominum vita exercetur causa melancholicorum cùm humorum, tum morborum esse advertuntur: ibi medicus proponere debet ægris hominibus prudentis Catonis utile in vita præceptum, quod his verbis in memorabilibus ejus dictis scriptum reperitur:

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut poſſis animo quemvis perferre laborem:

aut illud Menandri: ἀεὶ τὸ λυποῦν ἐκδίωκε τοῦ βίου. Nec tantùm monitionibus utetur, quæ interdum moleſtæ, difficiles ac ingratæ accidunt ægris iſtiusmodi: verùm etiam operibus id obliquè tentare adgredietur, dum familiares, quorum æger converſatione delectatur, inſtruet & exhortabitur, ut læta nuncia afferant vera, vel fingant veris ſimilia: facetiis etiam, jocis & amœnis jucundisque ſpectaculis animum ægri exhilarent: muſicis inſtrumentis, cantilenis, luſibus & deliciis, ex quibus animi hominum delectationem capiunt, animum à curis & ſolicitudinibus æquè, ac à triſtitia & mœrore vel metu diuturno abſtrahant.

CAP.

CAP. VII.

Anni tempus & regio considerentur etiam in ratione victus, quæ melancholicis morbis debetur.

PRæter hactenus dicta etiam anni temporis, regionum & locorum, in quibus ægri homines vitales spiritus ducunt, qualitates cœliq; status plurimum momenti habent ad humorum melancholicorum tum generationem, tum diminutionem & alterationem expeditiùs & feliciùs faciendam. Autumnus enim & initium Hyemis secundum naturam hoc humore corpora humana infarcit. Proinde ægri hoc anni tempore valida alterantia, incidentia, coquentia, dissipantia, subducentia & humectantia tutò admittunt. Ver verò & initium Æstatis, quæ anni tempora suis qualitatibus calidis & humidis juvant, diminutionem & alteratio-

nem & alterationem hujus humoris, neq; validè subducentia, neque fortiter alterantia acres humores admittit, cùm ista in talium humorum morbis Autumni tempore & Hyemis initio necessaria sint. Sic regiones & loca, quæ calido humidoque aere frequenter utuntur, per se horum humorum generationi & vitio resistunt: Frigidæ verò & siccæ, sicuti etiam nimis calidæ & siccæ regiones horū humorum copiam generant & morborum melancholicorum vehementiam augent. Quamobrem in regione calida & humida non est opus alimētis valida coquendi, alterandi minuendique hunc humorem, quando peccat, facultate præditis: Frigidæ verò & siccæ regiones, calidæ item & siccæ omninò requirunt fortia alterātia & subducentia hunc humorem, quando morbos excitat, licet in illis regionibus hic humor corporibus humanis naturalis sit. Alioqui enim morbi, ex hoc humore

more orti, lethales fiunt. Quæ porrò de cœli statu & astrorum vi, qua hic humor in corporibus humanis modò augeri, modò minui, modò etiam facilè alterari & corrigi, modò coctioni & alterationi resistere, modò difficulter moveri & educi solet, dicenda hic sunt, ea ab Astronomorum libris petantur, qui ex professo de astrorum Planetarumq; proprietatibus & effectibus agunt: nos intra metas nostræ vocationis stantes in proposito honesto progrediemur.

CAP. IX.

Tempora morborum melancholicorum quid moneant medicum, qui vult idonea victus ratione eorum curationem tentare.

Morborum melancholicorũ tempora quod attinet, tenendum in

principio morbi copioso alimento, quod calor naturalis conficere possit, nos tutò uti: in augmento cibo potuiq; tantisper detrahere, ut appropinquante morborum statu, semper tenuiore victu utantur ægri: & in ipso vigore morbi adeò tenui victu ægros alamus, qui tantùm virium conservationi sufficiat, ne eædem planè collabantur. Vbi verò vigor morbi præteriit & natura, quam in statu à coctione causæ morbificæ ad confectionem alimenti copiosi nolumus avocari, sed tantùm foveri, malo sese liberavit, vicissim à tenui victu ad pleniorem alimentorum sumptionem, pro virium cremento, deveniendum est. Et hîc maximè valeat regula Hippocratica, quæ jubet corpora, longo morbo extenuata, lentè refici: quæ verò brevi tempore extenuata sunt, subitò restaurari. Quæ demum corpora cibum assumunt à vigore morbi, quando declinatio statum perfectè absolutum sequitur, & nul-

Lib. 2. Aph. part. 1.

Lib. 2. part. 2.

nullum vel exiguum virium crementum habent, copiosiore alimento ea repleri, quàm à naturæ languidæ viribus confici & apponi possit, signum est æquè, ac si non assumenti cibum accidat debilitas virium: corpora præterea evacuatione indigere certò ostenditur.

CAP. X.

Loci affecti consideratio necessaria est in præscriptione diætæ, qua morbi melancholici curandi sunt.

LOcus affectus, in quo humor melancholicus sedem fixit, neutiquam in contemplatione, quam habemus de ratione curandi per bonam diætam morbos, ex melancholia factos, omitti debet. Primò enim ejus substantia densa vel rara, mollis vel dura ostendit, quam facultatem consistentiæ competentem habere debeant alimenta, fortem ne an debilem, *Substantia loci affecti.*

quæ humorum melancholicorũ copiam minuere & malignas qualitates alterare coguntur. Densa verò & dura loci affecti consistentia requirit alimenta, quæ subtilem consistentiam & fortem penetrandi agendiq; facultatem habent: sicuti mollis & rara particulæ substantia mediocris consistentiæ & facultatis alimẽtis indiget.

Temperamentum loci affecti.

Secundò temperamentum naturale loci affecti nos itidem instruit tum de magnitudine morbi, tum de alimentorum virtute. Nam quando hic humor, collectus in membro frigido & sicco, quale est Lien, proprium hujus fæculenti succi receptaculũ, morbum facit; periculosus non est, si credamus Hippocrati Lib. 2. Aph. part. 25. dicenti, in morbis minùs periclitari, quorum naturæ, ætati, habitui aut anni tempori morbus convenit, quàm quibus non convenit: nisi temporis progressu ob abundantẽ in toto corpore hujus humoris copiam, quæ locum affectũ planè obruit, sedem in affe-

affecta particula prorsus figat & inexpugnabilis fiat. Verum tamen alimenta fortem facultatem calefaciendi & humectandi habentia admittit & indicat alterationem usque eò fieri debere, ne nimiùm instando proprium loci affecti temperamentum mutetur. Si verò membrum, in quo hujusmodi humor, præter naturam collectus, morbum fecit, aliud quodcunque temperamentum habeat secundum suam naturam, necessariò morbus periculosus judicabitur & non solùm alterantia atque ducentia hunc humorem offeremus alimenta, quæ fortis sint agendi facultatis: sed & aliquid aromatum addemus iisdem, quæ cum ingenito loci affecti temperamento cognationem essentiæ & qualitatum habent. Proinde cordi ex melancholicis humoribus malè affecto, cùm sit calidū & siccum, validè quidem calefacientia & minùs humectantia: Cerebro, ob melācholicorum humorū superfluitatem

affe

affectiones habenti, mediocriter calefacientia & manifestè humectantia, qualia sunt vinum solito largiùs sumptum, juscula cũ aniso, cumino, dauco, fœniculo, mace, cinnamomo aut sinapi præparata & similis facultatis alia, conveniunt. His aliquid ex frigefacientibus & humectantibus admiscetur, ut alienæ qualitatis alimenta faciliùs à cerebro assumantur: Epate malè se habente ex abundantia melancholicorum humorum, audacter usurpamus alimenta valdè calefacientia & humectantia, quæ efficaci vi celeriter agant, quod necessitas requirit, quandoquidem naturale epatis temperamentum calidum & humidum est atq;, citra gravem noxam, melancholicorum humorum qualitates frigidas & siccas diu sustinere haud quaquam valet. Ventriculi temperies frigida & humida quando læditur à melancholicorum humorum copia & qualitatibus frigidis atq; siccis, validè humectantibus

&

& mediocriter calefacientibus restitui postulat: Pulmones frigidi & humidi moderatè calefacientibus & evidenter humectantibus alimentis refici desiderant, cùm melancholicorũ humorum violentiam sentiunt. Tertiò figura membri commonet nos de alimenti forma, an videlicet solida, an verò liquida assumi debeant alimenta, fluida an viscida & adhærentia, ut videlicet citò vel tardè ad ventriculum perveniant, multo vel brevi tempore in eo permaneant: vel sua substantia in ventriculo, dum probè alterentur, maneant & facultatem ad locum affectum transmittant: vel alterata in substantia facultatem agendi in affectam particulam deferant. Quartò situs loci affecti nos docet de efficacia & instructione alimentorũ, quæ morbos, ex melancholia in loco affecto jam factos, profligare debent. Si enim in ventriculo melancholia collecta eundem malè afficiat, alimentum ventriculi tempera-

Figurâ loci affecti.

Situs loci affecti.

peramento cōveniens erit, quod statim, ut assumptum est, agat id, quod debet, coquendo, alterando, corrigendo, calefaciendo, humectando, incidendo aut aliàs per vomitum, aliàs per secessum, si naturæ motus eò feratur, educendo humorem noxium. Quare fit, ut non validam agendi facultatem habeat alimentum assumendum, sed eam, qua in tali ventriculi affectu opus est. Sin ultra ventriculum agendi vis extendenda erit, necessariò eligentur alimenta, quæ non statim actu, sed potentia tum demum agant, quando à calore naturali in ventriculo cocta & alterata sunt, quod loci affecti necessitas requirit. Quantò itaq; profundiùs in corpore à vētriculo distat locus affectus, tantò validiorem agēdi facultatem non modò alimenta assumenda habebunt, verùm etiam instruentur necessariò aromatis & aliis, quæ tum facultatem contineant, donec ea ad locum affectum perveniat, tum cætera

tera membra, quæ ſana ſunt, adverſus alimenti facultates neceſſarias muniant, ſi eis quid noxæ inferre poſſent. Accedit & illud, quòd aliquando alimenta aut eorum facultates ad locum affectum dirigi & in eodem ad agendum irritari velint. Quamobrem aromatica facultate & qualitate, quæ cum naturali loci affecti temperamento cognationem habent, non rarò inſtruuntur. Quintò ſenſus membri affecti hebes vel acutus cõmonet nos de efficacia agendi, quam alimenta curationi affectus melancholici idonea habere debent. Nam mẽbra obtuſi ſenſus acri & forti facultate agendi inſtructa alimenta habere volunt. Hinc in Lienis affectibus non tantùm cappares, abſinthium, geniſtæ aut borraginis flores & alia hujuſmodi affectuum curationi idonea adhibemꝰ, verum etiã forti acriq; aceto eorum vim agendi augemus & operationẽ per ſubtili- Senſus loci affecti.

antia,

antia, incidentia & penetrantia, juvare nitimur: Membra verò expediti & acuti sensus mitibus alimentis tentamus, quæ non multùm à natura temperatorum alimentorum recedunt. Sicuti enim illa membra forti agendi efficacia, nisi crebrò admoveatur, vix irritantur, ut ut eorum facultates contra morbum insurgant, & mediocribus alimentorum viribus ne tentantur quidem: Ita hæc mitibus alimentorum facultatibus juvantur & fortibus graviter læduntur. Sextò functiones loci affecti volunt custodiri & neutiquam impediri, multò minùs aboleri aut depravari. Opera igitur danda est, ut alimenta ad curationem affectus Chronici & melancholici ea deligamus, quæ temperamentum naturale loci affecti, in quo integritas facultatum & instrumentorum consistit quam actiones inculpatæ sequuntur conservent ac facultatum actione promoveant. Deinde etiam inven-

Functiones loci affecti.

ti-

tis alimentis & rectè præparatis, ut à calore naturali confici & à loco affecto eorum succiviresq; promptiùs assumi possint, legitimo tempore & modo uti cogimur, ne videlicet actiones facultatis naturalis æquè, ac functiones vitæ necessarias in loco affecto importuna & inconveniente nutritione impediamus aut perturbemus.

CAP. XI.

Quid in loco affecto singulis morbi melancholici temporibus agendum sit.

ITa verò cautè in gubernando ægro procedere debemus cum alimentorum & rerum non naturalium administratione in singulis morbi temporibus, ut initio non augeamus, sed minuamus & corrigamus melancholicos humores: in augmento coquamus ac alteremus: in statu na-

turam subtractione alimenti & oblatione roborantium præsidiorum muniamus adversus vim morbi & conatus illius juvemus: in declinatione verò morbi debiles naturæ vires, propter conflictum, in statu cum morbo & causa morbi habitum, refocillemus &, quidquid de peccante materia reliquum advertitur, resolventibus, calefacientibus, humectantibus & dissipantibus alimentis omninò auferamus, ne levi aliqua occasione irritata ægri corporis particula materiam curati morbi, quod fieret, nisi illa roboraretur, residuum consumeretur & intemperies præternaturalis prorsus corrigeretur, recolligat & recidivam faciat. Quæ enim relinquuntur in morbis, recidivas facere consueverunt. Dum autem in singulis talium morborum temporibus particulæ affectæ idonea alimenta adhibentur, rationem habere cogimur viarum inter mediarum & instrumentorum principali-

Hip. lib. 2. Aph. part. 12.

palium: deinde etiam vicinarum particularum, quæ sanæ sunt, ne videlicet hæ nimia qualitate offendantur & lædantur ab alimentis, quæ locum affectum respiciunt & restituere in integrum debent. Roborantia itaq; & munientia primariis alimentis cõsultò adhiberi oportet. Præter hæc videndum, si aliqua particula propter vicinitatem aut vasorum cõmunicationem loco affecto cõsentiat: Quod cùm animadvertitur, opera danda est, ut & particula consentiens affectu liberetur, quando illa post restitutionem particulæ, quæ loci affecti rationem subiit, adhuc debilis appa-ret.

DE RATIONE CVRANDI HVMANORVM CORPORVM morbos per bonam Diætam.

CAP. I.

In hoc libro quæ tradenda sint, breviter ostenditur.

Novos morbos oriri.

Historia temporum & quotidiana experientia testatur non solùm varios & penè innumerabiles esse morbos, qui humana corpora crudeliter infestant & miserè depopulantur: verùm etiam nova morborum genera aliquando exoriri, in quibus observatio & usus priscorum medicorum nihil nobis ostendit, quod ad eorum profligationem faceret. Iure itaq; optimo medici boni & omni existi-

existimatione honoreque mihi digni videntur non hi, qui sordidas vitæ suæ professiones deserunt, artem medicam illotis manibus tractant, temeritate & impunita homines occidendi licentia instructi futili sua garrulitate apud imperitos homines de morbis & eorundem remediis multa in medium afferunt, quæ quippiam somniorum & paradoxorum, præter omnem humanæ rationis intelligentiam sonantium, instar habent, optimorum medicorum operas traducunt & sua medicamenta miseris ægris non rarò cum infelici eventu obtrudunt: neq; illi, qui unius atque alterius medici volumina, de morborum curationibus conscripta, aliquantisper manu versarunt & artem medicam, tanquam canis Nili aquas, primoribus labris degustarunt ac posteà, inani eruditionis opinione tumidi, omnibus omnium hominum morbis se dextrè feliciterque mederi, cæteros verò medicos talpis

cæciores & asino Cumano fustibus digniores impudenter dictitant: sed hi, qui divino ingenio præditi diu multumque in lectione optimorum medicorum hærendo tantum DEI beneficio profecerunt, ut & morborum, de quibus prisca medicorum schola nobis non contemnenda volumina reliquit, essentiales causas certasq; medelas, quantum divina permittit voluntas, depromere & præter expectationem citò orientium malorum expedita certaq; methodo causas, à quibus illa ceperint, cognoscere rectaque rationi & artis regulis consentanea remedia tempestivè invenire possint. Nam sicuti in omnibus morbis maximè necessarium est exactissimè indagare primùm morbi curandi naturam: deinde causas antecedentes & conjunctas, à quibus morbi foventur: quandoquidem, deprehensa morborum causa, facili negotio ægris corporibus idonea & utilis medicina inveniri potest:

Qui sint veri medici.

Quæ in morborum curationibus præcipuè considerentur.

potest: admodùm verò difficulter adhibentur commoda remedia morbo, cujus essentia causaq; nondum perspecta habetur: Ita honorificum & utile medico, ægro verò necessarium est statim à medico cognosci & discerni posse in morborum profligatione, tum quis sit affectus, in quo membro lateat & ex quibus causis originem fomitemq; habeat, tum cur potiùs hoc, quàm illo utendum sit remedio, ut pristina sanitas languentibus restituatur. Cùm autem novorũ remediorum, quæ morbis opponenda sunt, experimentum periculosum sit, & morbi, præsertim acuti, non multam temporis moram cõcedant, propter suam vehementiam, malignitatem & virulentiam, medico ad inquirendum idonea remedia, sicuti morbi Chronici facilè dant inducias ad excogitandum ea, quæ ægris hominum corporibus ad incolumitatem recuperandam necessaria putantur: rem laude dignam & tum

Bonam diætam, qua morbi acuti curantur, se ex sententia veterum hic proponere velle.

tum medicæ artis sedulis indagatoribus, tum ægris hominibus utilem nos facturos confidimus, si in hoc quinto &, qui hunc sequetur, sexto nostræ de ratione curandi morbos per bonam diætam commentationis libro, Hippocratis & veterum medicorum placitis, rectæ rationi consentientibus, insistentes tradiderimus rationem, qua morbis acutis citra medicationem tutò occurratur, ne illi, cùm sunt vehementes & periculosi, omnes ægros è vivorum hominum theatro auferant, quandoquidem hoc morborum genus non rarò plurimos homines simul corripit. Censemus enim multò securiùs his malis ab exercitatis medicis per victus rationem convenientem, quàm per medicationem, obviam iri tum in curatione harum personarum, quæ usum medicamentorum aut à natura, aut ob affectatum delicati animi morem aversantur, aut etiam ob graves causas vitare coguntur:

tur: tum in cæteris hominibus, qui usum medicamentorum ferunt, cùm dicat Hippocrates Lib. 1. Aphor. part. 24. in acutorum morborum principiis rarò locum dari purgantibus medicinis, & præmeditatione multa opus esse, quando eo acutarum passionum tempore medicatione ægri indigere videntur. Quanquam medicationem, à qua viros prudentes neutiquam abhorrere ait Syracides cap. 38, in morborum acutorum, qui extremum ægris hominibus malum minantur, necessariam esse: & talibus malis etiam extrema remedia cõvenire Hippocrates asserit. Vt itaque ordini nostro insistamus, in hoc libro agemus de curatione morborum acutorum, qui à sanguine excitantur ac foventur. Quomodo autem morbi acuti, qui causam materialem & essentiatem à bile flava accipiunt, per laudabilem & convenientem diætam profligari debeant, in sexto hujus argumenti libro perspicuè docebimus.

CAP. II.

Quomodò morbi acuti ex sanguine peccante fiant.

In sanguine hominis anima.

Sanguis intra statum suæ bonitatis quàm diu manet, ut omnium animantium, quæ vitam habēt, ita hominum naturæ est amicissimus succus, in quo vitæ spiritus & anima consistit. Hoc humore, qui in primis qualitatibus planè temperatus est, in secundis verò dulcem saporem præ se fert, maximè natura humana ad vitæ in corporibus hominum cōservationem & penè omnium membrorum nutritionem indiget. Quam ob rem beneficio venarum & arteriarum, per omnes universi corporis particulas ab epate & corde ductarum, in omnia membra corporis humani fertur, ut pro proportione & qualitate cuique morbo suum nutrimentum præstet. Etsi enim non omnes particulæ puro sanguine ad substantiæ suæ nutritio-

Massa sanguinea nutriuntur omnia totius corporis membra.

tionem & temperamenti ingeniti cõservationem opus habent: tamen in huj' humoris massa de cæteris humoribus etiã aliquid continetur in certa proportione, quã humores, in venis & arteriis cõtenti, inter se habent, atq; illud cum sanguine fertur in particulas, ut quælibet earum ex humorum massa sugendo attrahat id, quod suæ nutritioni necessarium est. Antequam autem id, quod attractum est, particulis nutriendis apponatur, tertia vice coquitur & alteratur ita, ut sanguinis substantia fiat tenuissima, ex qua primùm generatur ros, qui membris ex tertia coctione jam apponitur: deinde ex rorida substantia fit gluten, nimirum crassior & carni substantiæq; particulæ similior humor, qui quando planè in substantiam particulæ, quæ nutriri debet, convertitur, cambium dicitur. Hi tres humores ex alimẽto beneficio caloris naturalis fiũt per multiplices coctiones & alterationes, ut mẽbra humani corporis nutriant & substituant id, quod humido radica-

Humores secundarii ex sanguine in membris producti.

Ros.

Gluten.

Cambium.

dica-

Secundariis humoribus vegetari humidum primogeneum.

dicali quotidie decedit. Humidum enim primogeneum, quod est caloris naturalis pabulum & munimentum, quo in corpore animato sustentatur, nisi triplici hoc humore irroretur ac vegetetur, facilè à calore naturali resolvitur & absumitur, quo consumpto, calor ingenitus diutiùs in humano & caduco domicilio superstes esse nequit. Fit autem benè & laudabiliter nutritio corporis humani ac temperamentum tum in toto animati hominis corpore, tum in omnibus particulis sanum statum retinet, quàm diu hujus humoris & aliorum, qui in ejus massa continentur, substantia, quantitas & qualitas ex caloris naturalis bona concoctione & excrementorum convenienti depositione secundum naturam sese habent. Tunc enim & secundariorum humorum substantia, quantitas & qualitas se optimè habet. Vt primùm verò ex caloris naturalis alteratione, quæ eidem sæpe accidit ex inordinata victus ratio-

Bona sanguinis constitutio quid faciat.

Quæ ex sanguine mutato incommoda oriantur.

ratione æquè, ac ex mutatione ætatis, ejus substantia, quantitas qualitasvè mutatur ita, ut sanguis fiat nimis tenuis vel crassus, pituitosus, biliosus, melancholicus, serosus aut putridus, varii & periculosi in corporibus humanis excitantur morbi, qui sub acutorum morborum genere continentur. Nam quando substantia ejus aut nimis est tenuis & liquidior, quàm naturalis sanguinis consistentia in humano corpore requirit, sicut fit in cruditatibus & bilis flavæ tenuisq; dominio: fluere incipit ita, ut de particula ad particulam propellatur, donec in aliqua, languore correpta, sedem suam figat & morbum excitet: aut crassior, quàm secundum naturam esse solet, fit propter alimentorum crassorum sumptionem aut humorum pituitosorũ melancholicorumq; in eo abundantiam, obstructiones in venenoso arteriosoq; genere producit, unde putredines ac febriles ardores suam originẽ sumunt. Quando

Vitiosa sanguinis consistentia quid faciat.

dò verò sanguis copia sua peccat ita, ut vel exiguus, qui non sufficiat totius corporis nutritioni aut ob viarum obstructiones in aliquas particulas influere nequeat: vel nimius generatur, quem natura humani corporis ad sui nutritionem omninò non requirit, ut propterea oneri sit aliàs receptaculis, quæ nimia sua quantitate adgravat, distendit, coarctat, aperit & disrumpit: aliàs virtuti, quæ illam neque continere, neque regere in venis ita, quemadmodùm decebat, neq; absumere, neq; universum in corporis alendi nutrimentum convertere potest: Tum in ejus defectu membra similaria, deinde etiam instrumentalia exiccari incipiunt: calor naturalis in membro, quod defectu nutrimenti laborat, humidum radicale paulatim consumit: & ita essentia particulæ dissipatur, corrumpitur emoriturque sicuti in nimia ejus abundantia fluxiones obstructionesq; periculosæ excitantur.

Sanguis, quantitate peccans, quid noxæ gignat.

Nam

Nam cùm à naturali virtute contineri regíque non poteſt hujus humoris copia, levi occaſione irritata cum impetu ferri ſolet in particulas principales, ſervientes aut carnoſas. In illis dolores, ſubitas obſtructiones, tumores, putredines, ardores febriles & alios morbos, haudquaquam benignos, ſed periculoſos & quandoque lethales gignere ſolet. Quibus niſi dextrè & tempeſtivè occurratur, de vita ac ſalute ægrorum hominum ſubitò actum eſt. Quando deniq; qualitate ſimplici vel vel cõpoſita ex humorum in eo prædominantium qualitatibus, temperiei naturalis juſtam proportionem excedentibus, hic humor infeſtatur : pro alienæ qualitatis dominio varias & acutas paſsiones excitat. Quæ qualitates quando adhuc benignæ ſunt, ut ad bonam temperiem alterando facilè reducantur, morbos non omninò periculoſos gignunt, modò iis opportuno tempore

Sanguis qualitate vitioſus quomodò noceat.

com-

cõmoda remedia adhibeantur. Cùm verò maligna, putrida & venenosa qualitate ille humor infestatur ex veneni sumptione aut cõtagiosi aeris inspiratione longaq; viscerum obstructione, ut putridus ac venenosus tota sua substantia fiat atque temperamentum naturale corporis humani corrumpat, inimicissimus vitæ & incolumitati humanæ fit. Excitat enim lethales morbos, ut puta febres pestilentiales & alia mala, quibus interdum nulla solertia, nullaque tùm alimentorum, tum medicamentorum facultas resistit, ut primùm radices egerunt. Quod in pestilentis aeris constitutione aut præsentis & efficacis veneni sumptione intra paucarum horarum spacium evenit iis corporibus, quæ sanguineæ substantiæ putredine aut virulenta qualitate corripiuntur. Vis verò hujus mali eam obrem tanta est, quòd vitæ spiritus venenosa, putrida malignavè qualitate statim in vitæ fonte infestantur, unde

Cur morbi ex sanguine, qualitate peccante, periculosi sint.

unde vitam hominum miserè quandoq; depopulari contingit. Aliquando usu venire solet, ut hic humor æquè, ac cæteri, consistentia, quantitate ac qualitate simul peccet acutorumq; morborum genera varia subfluxu aut collectione in convenientiin membris principalibus, instrumentalibus & similaribus producat. Infra cap. 1.

CAP. III.

Qua victus ratione morbi acuti, qui ex sanguinis consistentia tenui fieri incipiunt, curari valeant.

QUando sanguis ob cruditatem suam nimis tenuis fluxionis suæ impetu corpora humana inquietat, & morbos excitare in illis incipit, ulteriori coctioni prudenter insistendum, nec ab intentione hac priùs recedendum, quàm ejus præternaturalis tenuitas consumatur & justa hu-

ova in sartagine cum butyro subacta & pulvere cinnamomi, zingiberis, macis vel nucis Moschatæ condita, panis triticeus vel siligineus, benè elaboratus & in clibano sufficienter coctus, pisces saxatiles, ut aurati, fundili, percæ, lucii annui & alii, qui squamoso in corpore carnes friabiles habent atq; aquas duras, ex montanis locis per petras decurrentes, incolunt. Interdicemus eis usum ciborum solidorum, qui difficulter concoqui & frigidum sanguinem generare solent, ut sunt aves palustres, pisces in stagnis agentes, carnes suillæ, bubulæ, endivia, lactuca, portulaca & olera omnis generis, sive cocta sive ex aceto vel garo cruda assumi consueverunt, ficus antiquæ aut immaturæ, nuces rancidæ aut veteres & duræ, caseus antiquus, pavones, columbæ senes, acetum, agresta, limones, ptisana & similis facultatis alia.

Potus esto vinum vetus, clarum, boni odoris, jucundi saporis & efficaciæ evidentis. Sed temperatè sumatur, ne nimio ejus usu coctiones in ventriculo & epate impediantur. Danda enim est opera, ut tantùm coctio aliqualiter juvetur: nullo verò modo sanguis tenuis nimio calore inflammetur vel ad fluxum promoveatur. Dicit enim Hippocrates Lib. 5. Aph. part. 19. Quæcunque refrigerata sunt, ea calefieri debere, exceptis his, quibus sanguis fluit aut fluxurus est.

Somnus. Somnum ægro moderatum, in conclavi à ventis frigidis, humidis & aliis libero, concedemus, corpore benè tegumentis munito; atque à *Vigiliæ.* vigiliis intempestivis eum arcebimus. Hæ enim corpora frigefaciunt & ad fluendum humores irritant. Somnus verò humores concoquit & fluxiones impedit. *Exercitium.* Exercitia moderata, jejuno stomacho & corpore ab excrementis libero, fieri ægris non nocet. Terminus tamen exercitiorum sit

fit cutis florida & spiritus concitatior, quàm anteà esse consuevit. Calefiunt enim membra & melior fit coctio ciborum assumendorum, quàm cùm corpora nimio otio torpent. Immoderata enim quies calorem naturalem debilitat & vires omnium membrorum in corpore humano enervat. Nulla inanitionum genera, neq; cibi potusq; repletio hujusmodi corporum constitutioni conveniunt. Illa enim humores magis tenuant & fluxionibus obnoxios reddunt: Repletio verò coctiones impedit & cruditates in massa sanguinea auget. Balnea aquarum dulcium atq; sudorifera, velut etiam voluptuosus Veneris usus, plurimum eis incommodant. Humorum enim sanguineorum fluxum concitant, ut iidem majore impetu ad debiliora membra ferantur. Thermæ sulphureæ, aluminosæ, salsæ & quæ siccandi vim habent, in tenui sanguinis cõsistentia non illaudantur, si jejuno

Quies.

Inanitio & repletio.

Affectus. corpore iis ægri utantur. Ab animi affectibus tristibus, meticulosis, suspiriis, anxietate & mœrore illos omni studio arcebimus & operam dabimus, ut gaudeant & jucunda animorum tranquillitate fruantur. Si verò sanguinis tenuitas, ex bilis in sanguinea massa redundantia exorta, causa existet fluxionum, diætam refrigerantem & incrassantem instituere necesse est.

Quando sanguis tenuis refrigeretur.

Aer. Aerem itaque ægro homini eligemus frigidum & humidum, sicuti copiosiùs de talium morborum materia in sexto hujus argumenti libro agetur.

Alimenta. Alimenta refrigerantia & humectantia: *Somnus & vigilia.* Somnum longum aut etiam meridianum & vigilias breves: *Exercitium & quies.* Exercitia nulla & otium multum convenire indicabimus. *Inanitio & repletio.* Inanitiones nullas fieri in ægris corporibus concedemus: & tum cibum tum potum crassi multíque nutrimenti, quod alteratum pituitosos humores generet, offeremus in ea copia, quam calor naturalis ci-

tra

tra molestiam conficiat, neutiquam tamen ex eis biliosos humores generet. Ab animi affectibus iracundis eos lædi: à compositis verò, sedatis & subtristibus timidisvé juvari ostendemus. *Animi affectus.*

CAP. IV.

Qua victus ratione curentur morbi acuti, qui à sanguine crasso oriri incipiunt.

SAnguinis crassior cõsistentia, quã secundum naturam esse debebat, quando in particulis debilibus coacervatur & obstructiones in angustis meatibus facit, quas excipiunt atrophiæ, febres ardentes & alii morbi, qui acuti dicuntur, requirit à medico, ut ægro præscribat talem victus rationem, quæ sanguineam massam calefaciat, humectet, fluidam reddat, attenuet & obstructiones aperiat. *Aer.*

Aer itaque, in quo æger moratur, fit clarus & tenuis, qui in qualitatibus suis ad caliditatem mediocrem & humiditatem evidentem inclinet. Qualem si natura propter cœli temperiem inconvenientem non reperire poterit, arte & industria in ægri vaporario præparandus erit. Qua verò ratione aeri inducantur calidæ & humidæ qualitates, ex iis facilè patet, quæ de morborum melancholicorum curatione in fine præcedentis libri à nobis producta sunt. Cibi sicci & constringentes, quales sunt hordeum, milium, oriza, panicum, lentes, caules bis cocti, caseus vetus, leporum caro, fabæ assatæ, fungi, castaneæ, crustis tecta animalia, cytonia, glandes, pruna sylvestria, poma & pyra adstringentia, carnium assatarum superficies adusta, omninò vitentur. Conveniunt autem alimenta primùm tenuantia & incidentia, qualia sunt acetum, acetositas citri, aut acetosus succus granatorum, a-

Cibus.

liiq;

liiq; cibi, de quibus Aetius lib. 2. cap. 239. & 240. tractat: deinde salsa & acria, quæ tenuando, & expultricem intestinorum facultatem stimulando alvum leniunt & mundificant, ut sunt baurach, beta, muria, serum lactis, cibi valdè sale conditi, pisces sale macerati & similis facultatis alimenta: tertiò prosunt hujusmodi ægris cibi sanguinem tenuem generantes & crassum attenuantes, ut sunt ex herbis menta, mentastrum, nasturcium, origanum, ruta: ex seminibus anethum, carui, cuminum, eruca, fœniculum, sinapi: ex fructibus ficus siccæ: ex radicibus allium, apium, petroselinũ, seseli Creticum meum. Panis sit ex farina triticea, cum seminibus carminativis mistus, & benè coctus, qui trium dierum ætatem non excedat. Vinum iidem bibant clarum, tenue, vetus, colore flavum, virtute validum, quando crassities ex cruditate sanguinis orta videtur. Abstineant verò à recenti, impu- *Potus.*

ro, crasso, nigro & austero adstringenteve vino: neq; cerevisiæ crassæ & malè coctæ usus eis convenit. Vbi verò crassities sanguinis ex supercalefactione & assatione, quæ humores tenues siccat, originem sumit, abstinendum est à vini generosi & validi usu: atq; in ejus locum sumatur vinum album, clarum, tenue & aquosum, vel decoctum prunorum, passularum, hordei, serum vel lactis. *Somnus.* Somno utantur multo, ut humorum crassities beneficio caloris naturalis per alimenta incidentia, attenuantia, humectantia & liquefacientia alteretur, fluida fiat & corrigatur, ne obstructionum causa existat. *Vigiliæ.* Vigilias ultra justum tempus non protrahant. Humores enim nimiis vigiliis non modò incrudescunt, ubi debilis calor naturalis est, sed etiam in superantia caloris naturalis exiccantur & inspissantur. *Exercitium.* Exercitia valida obire possunt ante prandium, corpore excrementis vacuo, si crassi-

ties

ties sanguinis à cruditate humorum dependeat. Illa enim humores calefaciunt, colliquant & cruditatem crassitiemque eorum absumendo attenuant, ne iidem obstructionibus faciendis apti sint. Otia verò humores crassos augent & crebris obstructionibus corpora humana objiciunt: Præstat tamen in magna humorum crassorum copia, quam calida & sicca intemperies produxit, otio indulgere, quàm exercitiis. Nam otia quiescere faciunt humores, & eos refrigerant atque densant: cùm exercitia eosdem è profundo evocent & ferociùs fluere per membra corporis cogant, unde in angustis meatibus sanguinis obstructiones existunt. Dabimus præterea operam, ut in tali sanguinis constitutione omnes excretionum viæ apertæ sint. Eam ob rem si quas earum obstructas adverterimus, per alimentorum facultates penetrandi, attenuandi, incidendi & liquefaciendi ita eas ape-

Quies

Inanitio

aperire conabimur, ut omnis obstructionis materia incidatur, liquefiat, absumatur, educatur & meatus vicissim humorum ductui excrementorumq; evacuationi legitimè ac tempestivè pateant. Abstinendum verò est non tantùm à cibis, quos in principio hujus capitis, propter inspissandi adstringendiq; facultatem noxios, in morbis, à sanguinis crassitie originem & fomitem habentibus, ægris hominibus in concessos esse pronuntiamus: sed etiã in cibis, quos iisdem salubres asseruimus, assumendis ordinem modumq; observari jubebimus, ne solidi liquidis præmittantur, nevè nimia alimentorum copia calor naturalis in corpore hominis ægri obruatur aut ventriculi capacitas ita infartiatur, ut & malè cibos contineat & suo onere turgente vicinas particulas comprimat, quarum meatus ob id angustiores fierent ut citiùs faciliusque humores crassi eos obstruerent. A Veneris actibus in universum

Re, littio.

sum

ſum abſtinere debent. Balnea aquæ dulcis tepida locum habent in iis corporib⁹, quæ ob ſiccitatem humorum craſsitiem collegerunt: Iis verò neutiquam proſunt, qui cruditate laborant & ob caloris naturalis debilitatem craſſum ſanguinem in venis habent. Sicuti autem illi à thermis, quæ habent vim calefaciendi, ſiccandi, denſandi & abſtergendi, evidenter læduntur: Ita hi talium lavacrorum uſu vel maximè juvantur, quando jejuno ventriculo & corpore ab excrementis vacuo iis utuntur. Sic frictionibus hi tutò tentantur, ut caloris naturalis qualitas intendatur: illi verò frictionibus plurimùm offenduntur. Porrò lætitia animi, ut & moderata ira, caloris naturalis robur auget, humores calefacit, attenuat, liquefacit & ab imminentibus obſtructionibus cavitates, per quas ſanguis fertur, liberat, quando ob diminutionem caloris naturalis craſſus ſanguis in corpore generatur. Vbi verò *Affectus animi.*

ex

ex abundanti caloris naturalis acrimonia humores exiccantur & inspissantur, tum iram vel maximè cavere ægri & tranquillitati animorum studere debent.

CAP. V.

Morborum acutorum, qui ex sanguine, multitudine peccante, fieri incipiunt, divisio.

SÆpe cõtingit, ut sanguinis in corporibus humanis consistentia bona sit & temperiem convenientem naturali sanoq; hominum temperamento habeat: verùm tamen quantitate ita peccet, ut aliquando in toto corpore aut aliquibus particulis deficiat, aliquando etiam abundet. Defectus sanguinis censetur, quando minus, quàm membris in universo corpore nutriendis sufficiat, generatur à calore naturali in alimẽti, ob famem & lõgam inediam, defectu: aut quando

Vnde sanguinis defectus existat.

do in annonæ caritate ſumuntur ejusmodi alimenta, quæ difficulter à calore corporum humanorum conficiuntur vel quocunq; caloris naturalis conatu elaborata & in chylum conversa plus excrementorũ, quàm boni ſanguinis, de ſua ſubſtantia præbent: aut quando ob aliquam epatis affectionem, quæ præter naturam eſt, ex chylo attracto bonus ſanguis generari nequit: aut denique quando ob aliquam particulæ, deductioni ſanguinis ſervienti, obſtructionem vel qualemcunque læſionem ad membra principalia, organica vel ſimilaria ſanguis in epate generatus tranſmitti nequit, unde morbum ex defectu ſanguinis fieri in aliqua particula ex actionum læſione advertimus. Abundantia ejus, quæ prioribus contrarias cauſas habet, noxia facultatibus aut inſtrumentis eſſe & morbis acutis originem præbere cognoſcitur, quando adgravat virtutes adeò ut beneficio caloris natura-

Abundantia ſanguinis quomodi cognoſcatur.

turalis sanguineæ massæ copiam facultates naturales neq; regere, neque omninò membris nutriendis apponere possint: aut quando vasa tendit, ut timendum sit de eorum ruptura vel vicinarum particularum cõpressione. Cùm itaq; hic humor tam defectu, quàm redundantia, deprehenditur morbos acutos, qui periculo non vacant, excitare: insistimus veteri medicorum theoremati, quod ponit Hippocrates Lib. 2. Aphor. part. 22. his verbis: Quicunq; morbi ex repletione fiunt, eos curat evacuatio: & quicunq; ex inanitione, repletio: & aliorum contrarietas. Nam cùm idem in libro de flatibus medicinam definiat esse appositionem & ablationem: appositionem quidem deficientium & subtractionem superfluorum. Morbos ex sanguinis defectu fieri incipientes auferre nitimur substitutione eorum, quæ defectum sanguinis corrigunt & sufficientem ejus copiam in ægri hominis corpore, mediante

diante calore naturali, gignunt: eos verò, qui ex nimia sanguinis superfluitate initium sumere advertuntur, antevertimus & expugnare nitimur priùs, quàm confirmentur, subtractione & consumptione superflui. Quibus autem rationibus hoc duplex morborum genus, quod ex sanguine, quantitate peccante, fomentum & originem sumit, in victus ratione à nobis tractari debeat, ordine docebimus, initium facientes à morbis acutis, qui ex sanguinis defectu oriri advertuntur.

CAP. VI.

Diæta, qua curantur morbi acuti, qui ex sanguinis defectu originem suam sumunt.

VBi ex sanguinis defectu morbi in corporibus humanis fieri incipiunt, bona vivendi ratio ne defectum

sanguinei humoris corrigere nitimur. *Aer.* Atq; ut finem bonum nostrarum intentionum consequamur, ægrum hominem jubemus habitare in contubernio, cujus qualitates in aere lucido, claro & puro sint planè temperatæ aut ad mediocrem caliditatem sive blandum teporem inclinent. *Cibus.* Cibos eligimus coctionis facilis, qui non tam quantitate, quàm substantia & qualitate sua optimi sanguinis copiam humanis corporibus præbent, cùm à calore naturali in mẽbris instrumentalibus, in quib, coctiones nutrimenti fiunt, conficiuntur: qui prætereà non multa excrementa generant & superfluitates, quæ post triplicem coctionem remanserunt, citra molestiam per vias, singulis excretionibus destinatas, justo tempore extra corpus deducunt. Tales sunt juscula carnium bubularum, caponũ, gallinarum, vitulinarum carniũ, brodia ex vino vel cerevisia triticea & ovorum luteis facta, quæ interdum

cinna-

cinnamomo, mace, zingibere, croco, butyro & sale vel sacchaго condiuntur: interdum cumino tantùm misto & sale vel saccharo usurpantur: polentæ ex farina triticea præparatæ & cum saccharo aut melle cōditæ: carnes agnorum, columbarum, coturnicum, vitulorum, caponum, gallinarū, hœdorum, perdicum, phasianorum, avicularum montanarum, porcellorum, & animalium annuæ ætatis, ut agnorum, caprarum, quæ in montanis & siccis locis aluntur, extremitates & epata anserum, pullorum gallinaceorum, gallorum testes, contusa gallinarum & caponum, post sufficientem coctionem, pectuscula & ossa, si brodia cū jure cocto ex illis fiāt aliàs alba & simplicia, aliàs croco infecta & aromatis saccharoq; cōdita, asparagi, bulbi satis cocti, endivia, fic9 maturæ, lactuca, uvæ maturæ, ova mollia, pisces squamosi & in aquis, ex montanis locis per saxa fluentib9, natātes, cicera sicca, dactyli, fabæ, lac recēs, me-

dullæ, passulæ dulces, panis triticei & dulcia edulia, ut testatur Plinius li. 14. Cap. 54. cùm inquit: Augescunt corpora dulcibus atque pinguibus & potu: minuuntur siccis & acidis, frigidis atq; siti. A cibis verò difficilis coctionis, multi excrementi, exigui nutrimenti difficilisq; transitus eos sibi cavere jubemus. Tales sunt ascellæ avium montanarum, genua, pedes, nervosa & extremitates animalium in locis siccis agentiũ aut cursu valdè exerceri solitorũ, fabæ virides, cicera recentia, cerebra & intestina animalium, carnes avium, in aquis stagnantibus vivẽtium, pisces veteres, crassæ substantiæ & ex lacub. stagnãtibus sumpti, carnes pecudum pisciumvè sale maceratæ & fumo exiccatæ. Vinum censemus in potu cõvenire eis album, nigrũ crassum & rubrũ, quod mediam ætatem & subdulcem saporem habeat. Ab aquæ verò simplicis aut hordeaceæ & cerevisiæ crassæ vel tenuis nimis, quæ ex hor-

Potus.

deo

deo fit, potiu illos arcebimus. Si autem vitio epatis minus sanguinis generetur, quàm necesse est ad corporis nutritionem, vitium illud, quantum possumus, primo quoq; tempore corrigere studemus. Sin ex obstructione vasorum, sanguinem ab epate in totum corpus deducentium, aliquod membrum, cujuscunq; illud conditionis sit, propter defectum sanguinis laborare & malè sese habere incipiat: aromatis incidentibus, tenuantib9, penetrantib, aut acetosis admistis, cibos subtiles, calefaciëtes & aperientes vias sanguinis offerim9. In hunc usum sæpe jubemus jus pinguium carnium sumi, & in eo gallum vel gallinam veterem, caponem pinguem aut perdicem coqui ita, ut una cum carnibus etiam juri carnis bubulæ immittantur flores nucis Moschatæ, piper nigrum, zingiber, cardamomum, carui, cuminum, petroselinum, sal. Hæc cùm sufficienter cocta sunt, jusculū per cribrum setaceum angustorum

foraminum transmittimus & manè atq; vesperi tepidè in quantitate justa exhibemus eo modo, quo æger illud libenter assumit. Vt major hujusmodi jusculo efficacia fiat, aromata interdum leviter contundimus & linteo puro, tenui atq; albo illigata ita, ut dictum est, cum carnibus coqui jubemus. Quandoque iis, qui delicatum palatum habent & lauta fortuna utuntur, præcipimus, ut talia juscula condiant saccharo albo, quod eis non tantùm gratum saporem, verùm etiam abstergendi vim cōciliat. Eligimus etiam aliquid eorũ aromamatum, quæ cum loco affecto, si in profundo corpore ille lateat, cognationem familiaritatemque habent & calefacientia, incidētia penetrantiaq; non solùm ad locum obstructum ducunt, sed & agendo eorum operationes juvant. Somnum eis mediocrem & tempestivum cōcedimus, quod calor naturalis tēpore somni humorũ repositorum coctionem molitur &

Somnus & vigiliæ.

ex

ex pituitosis superfluitatibus naturæ humanæ boni sanguinis copiã, quantam per illarum superfluitatum malignitatem calori naturali conceditur, præparare solet, ut docet Plinius Lib. 11. cap. 53. cùm ait: Somno concoquere corpulentiæ, quam firmitate utilius. A somno verò, qui fit jejuno ventriculo, & nimiis vigiliis hujusmodi ægros sibi cavere jubemus. Quandoquidem ille plurimum de sanguinea massa absumit: hæ verò humores sanguineos dissipant & corpora humana exiccant. Exercitia illis imperabimus aut mollia & mediocria, altera à cibo assumpto hora, si calor naturalis, in eorum ventriculis debilis, defectus causa existat, ut sunt deambulationes, vectiones & labores, qui in exercitiorum genere continentur, neque à consuetudine ægrorum hominum absunt: aut nulla, cùm otio indulgere illis utilissimum sit. Nam mediocri exercitio cibos solidiores & majo- *Exercitium.*

ri quantitate sumptos, quàm anteà, optimè confici innuere videtur Plinius in loco suprà citato, cùm mavult athletas, roboris colligendi causa, cibos ambulatione conficere. Sin fames, longa inedia aut evacuatio immodica causa fuerit diminuti humoris, quo animans ad sui nutritionem maximè indiget, audire debem, Hippocratem, qui dicit Lib. 2. Aphor. part. 16. tempore indigentiæ laborandum non esse. Præcipiemus itaq;,

Quies. ut istiusmodi ægri omnibus modis ab exercitiis & laboribus cessent otioq; conservare vitæ thesaurum studeant, quem indigentia alimentorum, longa abstinentia aut nimiæ inanitiones, quocunque modo factæ, eripere ceperunt. In tali præterea ægrorum

Inanitio & repletio. corporum statu nulla inanitionum genera admittuntur. Repositione enim, quæ repletione idonea & tempestiva fieri debet, studendum. Cùm verò dicat Hippocrates Lib. 2. Aphor. part. 11. corpora exinanita faciliùs reple-

reple poturi, quàm cibis: & ideo ejusdem libri part. 21. indigentiam ciborum sive famem vini potu compesci asseveret: operam dabimus, ut liquidis in repletione corporum exinanitorum utamur, qualia suprà enumeravimus inter cibos, quos hujusmodi ægris convenire censuimus. Præterea cùm in omni vita, teste Plinio Lib. 14. cap. 5. nimium perniciosissimum sit, præcipuè tamen corpori humano obsit, minuiq;, quod gravat, quolibet modo utilius habeatur: in refectione advertendum temp9, quo ægri corpus inanitum est & sanguineus humor deficere cepit. Nam corpora longo tempore exinanita atq; extenuata, lentè refici oportet: sicuti ea, quæ citò extenuātur, celeriter repleri decet. Mutatio autem omnis, quæ circa humana corpora instituitur, recta & cauta sit, paulatimque fiat, ut Hippocrates Lib. 2. de victu acutorum morborum sæpe præcipit. Nam plurimum atque repentè

Hip. lib. 1. de vict. acut. morb.

Li. 1. Aph. part. 1.

Lib. 1. Aph. par. 15.

evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, sive quovis alio modo corpus movere periculosum est. Quoniam omne nimium est naturæ inimicum, sed quod paulatim fit, tutum est tum aliàs, tum cùm ab alio ad aliud transitus fit. Denique dum corpora ex defectu sanguinis in morbos inciderunt & repletione defectum restitui desiderant, non debent statim nimio alimento obrui, cùm cibi præter naturam plus ingesti morbum faciant. Sed repletio ita prudentium medicorum cautelis gubernabitur, quatenus calor naturalis ratione virium, ætatis, anni temporis, sexus, regionis & consuetudinis in humano corpore alimenta assumpta conficere atque in bonum sanguinem convertere valet, eatenùs ut refectio fiat. Qua in re plurimum valet Plinii cautela Lib. 11. Cap. 53. cùm ait: Simplex cibus homini utilissimus: Accervatio saporum pestifera & condimenta perniciosiora.

Lib. 2. Aph. part. 17.

(Mul-

(Multitudo enim ferculorum fœcunda mater morborum & nutrix medicorum abomnibus sapientibus habetur.) Difficulter autem conficiuntur omnia in cibis acria, nimia & avidè hausta: & Æstate, quam Hyeme difficiliùs: & in senecta, quàm in juventute. Vomitiones ad hæc in remedium excogitatæ frigidiora corpora faciunt, inimicæ oculis maximè ac dentibus. Mœrorem, tristitiam, iracundiam, metum, contentionem, clamosum sermonem & vehementes subitosque animorum motus, qui vel calorem naturalem dissipare, vel humores inflammare & exiccare in instrumentalibus, similaribus, mollibus & solidis particulis, aut calorem etiam naturalem in iisdem coarctare, suffocare & refrigerare solent, maximè cavebunt. Studebunt autem, quantum per ætatem, vitæ genus & fortuitos vitæ humanæ casus datur, animo hilari & tranquillo esse. *Affectus animi.*

CAP.

CAP. VII.

Diæta, qua curare nitimur morbos acutos, qui ex nimia sanguinis redundantia adhuc fiunt.

QUando sanguis nimia sua copia morbos in humanis corporibus gignere advertitur, omnibus conatibus, quos ægri corporis natura ob morbi essentiam, qualitatum ingenitarum temperiem, virium robur, ætatem, vitæ genus, sexum, consuetudinem, anni constitutionem, regionis qualitates & morbi tempora, citra noxam ferre cognoverimus, ejus, quod superfluum est & actionum læsiones inducere videtur, minutionē opportunam machinabimur. Primò itaq; ægri habitationem eligemus, quæ respiciat Aquilonem & aerem frigidum siccumq; aut natura aut arte præparatum habeat, obscurum tamen. Eam ob causam Æstatis tempore

Aer.

pore

pore habitationis fenestræ, quæ ortum, meridiem vel occasum respiciunt, clauduntur atq; velis teguntur: & aperiuntur fenestræ, quæ ventos Septentrionales recipiunt. Pavimenta etiam & pulpita insternemus foliis quercus, plantaginis, solani, salinis, vitium foliis, papaveris floribus, trifolio, millefolio, origano, pulegio & similibus herbarum viridium foliis caulibusque. Cibos eligemus pauci nutrimenti, qui postquam à calore naturali alterati sunt, multum excrementorum, quæ tamen non obstructiones faciunt, sed famelicum ventriculum satiant, minimum sanguinis generant celeriterq; excrementa sua extra vasa, excretionibus destinata, protrudunt. Quales sunt substantia tenues & rari multaq; siccitate vel humiditate excrementitia abundantes, ut panis furfuris, hordei, avenæ, medulla panis loti, aures, pedes, ventriculi, pulmones & nervosæ partes animalium, aves Cibus.

palu-

paluſtres, fabæ humidæ, fructus lentiſci, olera omnis generis, beta, blitum, panicum, milium, cepæ, cappares, amygdalæ, avellanæ, nuces juglandes, mora, olivæ immaturæ, piſces ſale conditi aut fumo macerati, caro ſalita & fumo exiccata, caro animalium ſenum, amylum, allium, cibi acetoſi, fructus præcoces, curcurbitæ, granata acetoſa, naſturcium, papaver, paſſulæ ponticæ, paſtinacæ, pinguedines animalium, poma acetoſa, porrum, portulaca, pruna acetoſa, raphanus. Præcipiemus verò, ut ægri tales abſtineant ſe ab uſu ciborum, quos convenire curationi morborum, qui ex defectu ſanguinis fieri incipiunt, paulò antè diximus, nimirum qui facilè à calore humanorum corporum naturali concoquuntur & in parva quantitate aſſumpti parum excrementorum, multum verò boni ſanguinis in corporibus humanis producunt. Potū eis aquam ſimplicem aut hordeaceam vel ſac-

Potus.

charo

charo coctam ordinabimus. Somno multo, qui jejuno ventriculo fiat, indulgere possunt. Calor enim naturalis, collectus intra membra corporum humanoru, concoquit & validè apponit. Plurimum etiam de humoris sanguinei superfluitate resolvit & in sudorem convertit. Quare non inconcinnè ait Hippocrat. Lib. 4. Aphor. Sudorem multum ex somno factum, absq; manifesta causa, corpus uti plurimo cibo significat. Si verò cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet, quòd evacuatione indigeat. Alioqui in tali corporis statu vigiliis similaria membra exiccare & ita suctionē excitare, ut validiùs sanguinē attrahant & venas inaniant, non est inconveniens fidelium medicorum institutum. Exercitia, jejuno ventriculo & corpore ab excrementis vacuo, multa, fortia atq; longa, ad largam sudoris profusionē facta, hujusmodi ægris cōpetunt. Multa verò quies æquè, ac moderata exercitia, quæ Somnus. Vigiliæ. Exercitium. Quies.

ad

ad spiritus concitatiores & cutis rubedinem fiunt, nocent. Imò ex his plus noxæ in corpora plethorica redundare solet, quandoquidem humores liquefaciunt & ad fluendum quietos impellunt, quàm ex quiete, quæ humores ad fluxum propensos sedat & non nihil eorum impetum reprimendo impedit. A repletione hi ægri, qui plenitudine laborant, sibi maximè cavere debent. Nunquam ergo ad satietatem alimenta assumere permittantur. Imò tantùm ad caloris naturalis & virium conservationem cibus assumendus, & non ad reficiendum. Quantò enim plus alimenti, præsertim si ex eo calor naturalis bonum sanguinem generare possit, homini ægro, ex plenitudine morbo laboranti, dederis, tantò magis morbū & causam morbi essentialem augebis. Tantum proinde aberit, ut ægro homini, qui propter sanguinis boni copiam in morbum incidit, robur per alimenti laudabilis oblationem con-

Repletio.

Lib. 1. Aph. part. 15.

ser-

ſerves atque augeas, ut etiam ipſum oppugnes ac planè diſſolvas, ſi in tali corporis ſtatu juſtâ alimenti optimi copiâ, quam aliàs, citra difficultatem, conficere ſolebat, ejus vẽtriculo offeras. Eodem modo in errorem incurres, cũ ægri hominis malo, quando ſorbitiones vel potum dabis copioſum hujusmodi ægro antè, quàm alimentum priùs aſſumptum calor naturalis inventriculo concoxerit & ad inteſtina jam transmiſerit, ut docet Hippocrates l. 1. de victu acut. morb. part. 32. cùm inquit: Quibus cibus recens concluſus eſt, ſi, eo non vacuato, ſorbitio detur, dolor jam inſtans irritabitur: aut ſi dolor non eſt, protinùs inducetur, ſpiritus reddetur perquã frequentiſſimus, id quod non mediocre malum eſt. Nam pulmo exiccatur & præcordia, abdomen atq; ſeptum transverſum dolore crucientur. Ægri autem æquè propter has cauſas, ut idem Hippocrates teſtatur part. 34. velut ob alias,

lias, vel ſeptimo die vel citiùs alii quidem in dementia, alii verò in ſpiritus difficultate, quaſi ſtertendo ſuffocarentur, moriuntur. Maximè itaq; advertendum, quid morbi vis, cauſæ morbificæ multitudo, ægri temperamentum, vires, ætas, ſexus, vitæ genus, conſuetudo, anni tempus & regionis temperies ferant, quid minùs

Inanitio. tolerent. Omnia etiam inanitionum genera, præter purgantium & vomitum irritantium medicamentorum vim, quam pura & plethorica corpora citra noxam nunquam ſuſtinent, ſed eum, quoties adhibetur, vitæ & valetudini periculoſam experiūtur, facilè plethorica corpora ferunt. Iisdem etiam, ſi dextrè tempeſtiveque adhibeantur, plurimum adjumenti præſtant. Proinde non tantùm venæ ſectiones, cucurbitularum cum ſcarificatu appoſitarum & hirudinum uſum, menſium provocationem hæmorrhoidumque apertionem promptè perferunt; verùm etiam largam ſudo-

ſudoris profuſionem, quæ balneo aëreo, tegumentis mollibus, exercitiis multis, medicamentis humores reſolventibus, diſcutientibus & poros aperientibus, multa deniq; frictione, pro varia noſtrorum conſiliorum intentione, aliquando irritatur: ſomnum à vacuatione factum, inediam crebram, Veneris uſum & thermas ſulphureas, aluminoſas ſalſasq; cum magno valetudinis bono ſibi adhiberi experiuntur. Denique animi affectibus planè quietis op, eſt, ne humores in tali corporum conſtitutione ad fluxum lætitia iracundiavé commoveantur. Triſtitia enim & metus humores inſpiſſant, refrigerant & quidem fluxiones impediunt, verùm tamen obſtructionibus vaſa plethoricorum corporum obnoxia reddunt.

Affectus animi.

CAP. VIII.

Victus ratio, qua curantur morbi acuti, qui a sanguinis qualitate peccante interdum fieri incipiunt.

Prima qualitatis peccantis divisio.

De sanguinis naturalibus qualitatibus vide Aristotelẽ lib. 3. de Animalibus.

SAnguis in corporibus ægrorum hominum aliquando consistentia ac quantitate secundum naturam se habet & tantùm qualitate peccans morbos excitat. Aliàs autem illa qualitas, quæ superant a sua harmoniam massæ sanguineæ turbat & temperamento naturali nocet, unde facultates in membris organicis affici & actiones læsæ sequi advertuntur, est simplex: aliàs composita. Nam sanguis aliquando solet esse nimis calidus, aliquando nimis frigidus, aliquando nimis humidus, aliquando nimis siccus: aliquando nimis calidus & humidus, aliquando nimis calidus & siccus: aliquando nimis frigidus & humidus, aliquando nimis frigidus

&

& ſiccus. Hæ humoris ſanguinei qualitates interdum ſunt benignæ, quæ facili alteratione, per ſex rerum naturalium legitimam adminiſtrationem facta, ad harmoniam naturalem reduci poſſunt, etiamſi morbos acutos excitent: interdum verò malignæ adeò, ut nulla ratione nulloque conatu ad ſymmetriam & proportionatam quatuor primarum qualitatum temperiem, quæ corpori ægro naturalis erat, dum in ſtatu ſanitatis conſiſteret, redigantur. Imò aliquando ſanguineo humori, cujus ſubſtantiam, ut & cæterorum humorum, qui in corporibus humanis continentur, eſſentiam, ſæpe mutari Plinius Lib. 11. cap. 38. aſſerit & Hippocrates atque Galenus in multis locis confirmant non modò idipſum, ſed omnes eruditi ex quotidiana experientia norunt, qui intelligunt ad variationem aeris & alimentorum, exercitiorum omiſſionem vel uſum, nimium ſomnum, longas vigilias, inanitionem & repletio-

Secunda qualitatis peccantis diviſio.

Lege locum lib. 1. cap. 4.

tionem, deniq; etiam ad varias affe-
ctuum in animis hominum fortuitis
vitæ humanæ casibus & rumoribus
perturbationes humorum substan-
tiam variis modis affici & sæpenume-
rò alterari, accidunt tam malignæ &
noxiæ qualitates, ut acutissimos mor-
bos & lethalia mala vitæ corporibus-
que humanis inferre possint. Hoc et-
iam fit, quando sanguinis substantia
putredine aut venenosa qualitate ex
inspiratione virulenti & pestilentis
aeris aut longa organorum, massam
humorum continentium, obstructio-
ne aut veneni sumptione inficitur.
Quod facilimè fieri nō solùm omnes
eruditi medici uno ore fateri cogun-
tur: sed etiam locupletem suæ sen-
tentiæ testem habent Aristotelem, qui
lib. de Animalibus tertio ait sangui-
nem & quæ sanguinea sunt facilè pu-
tredine corripi. Nam vitæ spirit⁹ per
istiusmodi malignas sanguinis quali-
tates statim corrumpuntur. Hi cor,
quod est vitæ origo & fons, subitò pe-
tunt & ita totam nō modò spirituum
vita-

Quomodò sanguis qualitate sua perniciosos morbos excitet. Suprà eodem lib. cap. 1.

vitalium & humorum in corde contentorum, verùm etiam cordis substantiam & universum hominis corpus immutant, ut tota hominis substantia malè affici & periculoso morbo affligi incipiat. Arteriæ enim cum sanguine infecto etiam spiritus vitæ infectos à corde accipiunt & omnibus totius corporis particulis communicant. Nisi verò per DEI misericordis benignum auxilium horum malorũ vehementiæ maturè & dextrè à peritis medicis occurratur præsidiis talibus, quæ substantiam vitalium spirituum, humorum, cordis & tum instrumentalium, tum similarium particularum roborant ac muniunt adversus mali grassantis ferocem insultum: id, quod putruit, statim per venæ sectionem auferunt vel minuunt & correctione alterationeque diligenti ad benignam temperiem reliquum sanguinem reducunt, de hominum ægrorum salute planè actum est. Tanta etiam horum morborum est interdum ferocia & malignitas in

Subita auxilia in his morbis requiri.

subjectis benè prædispositis, ob inordinatum & incautum vivendi modum, ut minimi tēporis induciæ, quæ ei in corpore ægro dantur, morbum lethalem & incurabilem reddant, cui postmodò nulla præsentissimorum remediorum efficacia ad resistendum sufficit. Quoties itaq; sanguinis qualitates simplices excessu peccant ita, ut benignitatem suam retineant & adhuc videantur ad legitimam qualitatum in humoribus harmoniam reduci posse, operam dabimus, ut in diæta res non naturales, quas præsens morborum temperamentum ad sui ablationem requiret, sano temperamento sanguinis consentiant & intemperiei superanti contrariæ sint in eo gradu, quo qualitas peccans naturalem temperamenti statum superat. In sanguinis verò nimia caliditate omnia ad frigidam inclinare debent intemperiem: Contrà in ejus frigiditate calorem naturalem augere & sanguinem calefacere nitemur.

Ratio victus in talibus morbis.

Eadem

Eadem eſt ratio in compoſitorum qualitatum, quæ in ſanguine quandoque peccare advertuntur, correctione. Nam alterando conamur caliditatem & humiditatem nimiam frigefacere atq; ſiccare: caliditatem atq; ſiccitatem præcellentem frigefacere ac humectare: frigiditatem & humiditatem calefacientibus ſiccantibusque ſanguinem attemperare: frigiditatem deniq; & ſiccitatem calefaciendo & humectādo reprimere, ne morbum, qui fieri incipit, in corpore humano aut aliqua ejus particula qualitates ſanguinis peccantes figant. Aliquando autem hanc alterationem perficere attentamus externis præſidiis: & tum aerem contrariis qualitatibus inſtruimus inhabitatione ægri hominis; tum extrinſecùs, admovemus tegumenta, exercitia, quietem, ſomnum, vigilias, balnea & fomenta calefacientia, frigefacientia, ſiccantia, humectantia, calefacientia & humectantia vel ſic- Aer.

cantia, frigefacientia & humectantia vel siccantia: frictiones & alia inanitionum genera: deniq; etiam animi affectus sedatos & tranquillos vel concitatos & turbulentos præcipimus, sicuti occasio & necessitas ferunt. Aliquando etiam exhibemus tenuem victum, qui instructus sit efficaci qualitate, qua alterationem in sanguine morbosæ temperiei contrariam inducere possit, postquam à calore naturali in ventriculo coctionē suscepit. Quoties verò malignæ qualitates in sanguine dominantur, & morbos excitare incipiunt, nulla interveniente mora, diæta institui solet, quæ virulentiæ & putredini potenter resistat, substantiam & qualitatem sanguinis incorrupti sanam muniat & conservet, id verò, quod virulentia aut putredine infici cepit, neq; omninò adhuc corruptum est, subitò alteret, spiritus vitæ, cor, principalia membra & eorum facultates custodiat, ne virulenta vis aut infesta putredo

Cibus.

in

in iis aliquem effectum ostendat. Non solùm itaque in his malis procedimus externis præsidiis, quæ aerem alterant, in quo ægri morantur, & corporum humanorum morbosam intemperiem quocunque modo corrigunt: verùm etiam cibum potumque talem adhibemus, qui tota substantia & qualitate occulta vel manifesta virulentiæ putredinique sanguinis resistat. Tantò autē in malignarum qualitatum alteratione fortioribus uti cogimur præsidiis, quātò mala, quæ inde proveniunt, humanæ vitæ perniciosiora sunt & moram longam ægriùs ferunt. Sicuti in benigna qualitatum intemperatarum superantia mitibus præsidiis utimur, quæ paulatim excessum qualitatis simplicis vel compositæ contrariis suis qualitatibus corrigunt. Cùm itaque in talibus morborum initiis, qui fiunt à nimia sanguinis caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate, caliditate & siccitate

Præsentis efficaciæ alimenta in talibus morbis esse oportet.

citate vel humiditate, frigiditate & ſiccitate vel humiditate, virulentia atq; putredine, humor ſanguineus ferè ſemper turgeat & de loco in locum feratur, ante omnia aer habitationis, in qua æger moratur, ita inſtitui debet, ut calidæ intemperiei ſanguinis qualitas aeris frigida: frigidæ calida: humidæ ſicca: ſiccæ humida: calidæ & humidæ frigida atque ſicca: calidæ atq; ſiccæ frigida & humida, frigidæ atq; ſiccæ calida & humida: frigidæ atq; humidæ calida & ſicca: virulentiæ atque putredini pura, ſicca atq; ſalubris reſiſtat. Hoc commodè fiet, ſi venti, quorum qualitates morbi naturæ ac temperamẽto conſentiunt, à contubernio ægri arceantur: & admittantur venti, qui cum naturali & ſano hominis ægri temperamento conſenſum habent morboſæque intemperiei contrarii ſunt. Tales cùm per anni temperiem habere nequimus, aerem noxium

Aer.

à con-

à contubernio ægri conclusione fenestrarum, quæ aeris qualitatibus nocentis motui exponuntur, arcemus: aditus tapetibus munimus, ne januis apertis aer noxius ingredi possit, & in conclavi aerem instruimus arte, ut qualitates recipiat, quales alterationi necessariæ idoneas existimamus. In hunc usum affundimus pavimento & subselliis aquas convenientes, acetum simplex aut convenientibus materiis mixtum: insternimus etiam solo & pulvinaribus herbas, folia ac flores, quæ in præsenti morborum statu cor cerebrumque roborare, vitæ spiritus recreare sanguinemq; alterare valent. Vt etiam humores à fluxu cessent & quiescant, lumen à contubernio ægri velamentis auferimus & interdiu aerem obscurum inducimus. Ingressus & egressus hominum familiarium crebros, ut & multorum assessius ejusmodi ægris noxios statuimus. In nimia verò sanguinis

guinis frigiditate contrario aeris statu utendum esse ex tertio hujus argumenti libro lectori facilè patet. Eò remittimus eum, si plenam vivendi rationem in sanguinis nimia refrigeratione consuetam cognoscere cupiat. Hîc enim tantùm de acutis morbis, qui à sanguine supercalefacto oriri incipiunt, agere instituimus. Cibum & potum exquisitè tenuem eis præscribimus, quo tantùm robur qualecunq; facultatū cōservatur. Proinde cremore ptisanæ, jusculis ex emulsione seminum frigidorum præparatis aut, si tali cibo æger contentus esse nequeat, jure carnium bubularum, vitulinarum, ovillarum, caponum gallinarumvé, absq; aromatis facto & pane siligineo eum fovebimus. Locum etiam habent in jusculis commemoratis simplicia primùm, quæ sanguinem purum reddunt, ut cicer agreste, malua sylvestris, mercurialis, salvia, succus porri, veratrum album, violarū mater, lupulus, capil-

Cibus & potus.

capillus Veneris, eupatorium, Rheu-Barbarum, ſuccus roſarum, caſſia, abſinthium, fumus terræ, borraginis & buglosſi flores: deinde reſiſtentia venenis, ammi, aniſum, betonica, bolus Armenus, braſsicæ ſuccus, bryoniæ radix, butyrum, chamædrys, cepa, citri ſemen, cyclamen, fœniculum, gentiana, ſcordiũ, pulegium, libyſticum, origanum, ruta, rapi ſemen, terra ſigillata. A cibis calefacientibus, ſubtiliantib9 & fluorem facientibus: item ab iis, qui facilè in ventriculo corrumpuntur & putredinem ſanguinis augent, ut ſunt chryſomala, fructus præcoces, pruna cerea, mora, perſica, pyra dulcia, pepones, & ſimilis eſſentiæ cibi, illos omni ſtudio ſibi cavere jubebimus. Aqua hordeacea aut ex fructibus competentibus, ut granatis acetoſis, ceraſis acetoſis, pomis acetoſis, uvis paſſis, prunis Damaſcenis domeſticisvé, aqua ſimplici & una ebullitione cocta aut ſaccharo indulcorata pro potu ei ſufficiet. A vini autem uſu, omninò

mninò eum abſtrahemus. Hauſtum enim calore accendere humores & interna viſcera Plinius Lib. 14. cap. 5. teſtatur: Aut vinum probè aqua dilutum ei offeremus, qui à natura vini uſum ferre conſuevit. Somnum nimium eis concedemus, quòd calor naturalis humores nimiùm calefacit, quando tempore ſomni in naturalibus membris colligitur. In talibus etiam morbis obſervetur regula, ab Hippocrate lib. 2. aphor. part. 1. poſita his verbis: In quo morbo ſomnus laborem facit, mortale: ſi verò juvet, non mortale. Ita enim de horum morborum exitu, ſi & cætera excutiantur ſigna, quæ in prædictionibus obſervantur, medicus certus erit. Vigiliæ verò humores ab internis membris ad externa cum calore naturali evocant & faciunt, ut ſanguis qualitate peccans divertatur ad externa membra, ubi non tam grandes noxas infert, quàm quando ad interna & principalia membra feroci impetu fer-

Somnus.

Infrà lib. 4. cap. 7.

Vigiliæ.

fertur. Exercitia illis nulla conveniunt, quòd sanguinis qualitates calidæ exercitiis intenduntur & morborum vehementia augetur, dum ad præternaturalem calorem extraneus per exercitia accedit. Vt plurimùm tamen virium lãguor in hujusmodi acutorum morborum statu exercitia fieri prohibet. Loco autem exercitiorum adhiberi possunt frictiones molles & raræ, quæ poros cutis aperiunt, ut fumosæ exhalationes faciliùs egrediantur, quæ calorem naturalem onerarent & coarctando suffocarent. Otia verò humores quiescere faciunt, ne cum tanto impetu de membro ad membrum ferantur. Inanitionum genera, quæ in tali corporum statu adhiberi cõsueverunt, si necessitas requirat & vires ægri hominis permittant, neq; malignæ qualitates aliter reprimi posse videantur, fieri non nocet. Modus tamen certus illis præscribatur, ne nimiis inanitionibus vires languidæ omninò dejiciantur:

Otia.

Inanitio.

antur: nevè intempestivæ aut illegitimæ fiant, præsertim cùm nudis qualitatibus peccantibus in sanguine purgantia & vomitum facientia nihil efficiant, neque tam vacuantibus, quàm alterantibus opus sit. Proinde sciendum, neq; balnea, neq; Venerem, neque hæmorrhoidum apertionem, neq; mensium provocationem, neq; cucurbitularum cum scarificatione usum, nisi his diversionis gratiâ quis uti velit, facilè admitti in talibus morbis: sed ubi humoris substantia adeò per malignas, venenosas aut putridas qualitates corrupta est, ut ad benignam naturam reduci alterando non facilè possit, venæ sectionem & sudoris profusionem, quæ tantùm ideò adhibetur, ut à corde & internis membris ad circumferentiam cutis venenosæ qualitates dirigantur & ita per insensibilem perspirationem sudorisque largam profusionem expellantur, concedere ægris possumus. Nam vasorum inanitio

Lib. 1. Aph. part. 2.

tio si talis fiat, qualis fieri debet, confert & benè tolerant: sin minùs, contrà. Inspicere itaq; oportet & regionem & tempus, & ætatem & morbos, in quibus conveniunt aut non. Cavebimus etiam, ne cibo potuque, quem suprà hujusmodi ægris convenire diximus, eorũ ventriculi repleantur. *Replet.* Alioqui enim calor naturalis duplici malo afficeretur, dum multitudine alimenti in naturalibus membris debilitaretur & à qualitatibus venenosis lethiferisq; impugnaretur. Quamobrem in vigore morbi, quem celeriter contingunt hujusmodi mala, necessariò succumbere & victoriam morbo concedere cogeretur. Sed victum tenuissimum, qui tantùm vires refocillet, iis saluberrimum docet Hip. Lib. 1. Aph. part. 7. cùm inquit. **In morbis peracutis, qui statim extremos labores habent, extremè tenuissimo victu utendum esse. Vbi verò nõ, sed pleniorem victum adhibere convenit, tantum cibi indulgeri pos-**

se, quantum morbus extremis mitior advertitur esse. Has observantes regulas, tum in morbi vigore tenuissimum victum ægro homini demus: tum in exacerbationibus, quas habent morbi, qui certis periodis recurrunt, nullum alimentum ægro offeramus. Hæc medicorum optimorum salutaria documenta qui temerè negligũt, plurimum nocumenti ægris hominibus afferunt. Animi affectus planè quieti & à metu, iracundia, mœrore contentioneq; liberi, mites placidi & amœni securitatem in talibus morbis medico promittunt atque spem de ægri salute bonam faciunt. Contrà inquietudo, anxietas, ira, furor, delirium, clamor, contentio & similes animæ passiones morbum aut longum & periculosum, aut certum ægro interitum imminere denuntiant.

Lib. 1. Aph. part. 8. & 11.

Affectus animi.

CAP.

CAP. IX.

De victus ratione, qua curantur morbi acuti, qui adhuc fiunt ex sanguine, consistentia, quantitate qualitateq; simul peccante.

Fit interdum in plethorico corporis habitu, ut sanguinis copia, quæ modò major est, quàm ut eam virtus caloris naturalis gubernare vel vasa citra distensionem continere possint: modò minor, quàm ut sufficiat corporis nutritioni, habeat consistentiam aut nimis tenuem aut nimis crassam & quoq; in illa consistentia vitiosas qualitates, quæ æquè ac copia & consistentia sanguinis, morbum producere incipiunt. Naturalem verò & legitimam sanguinis, qui optimo habitu constat, consistentiam neq; admodùm crassam, neq; admodùm tenuem esse ait Aristoteles lib. 3. de animalibus. Quam obrem non tantùm consistentiam sanguinis

tenuem coquere & inspissare vel nimis crassam attenuare & liquidam facere: verùm etiam ejus tum nimiam copiam consumere, tum defectum restituere cogimur. Nihilò minùs etiam necessitas nos jubet qualitates in sanguine, redundantia defectuque peccante, præternaturales & temperamento totius corporis vel alicui principali membro nocentes alterare atq; ad consonantiam redigere. Hæc ut promptè dextreque fiant,
Aer. primùm aer, in quo æger homo moretur, eligendus erit, pro coctione ulteriore sanguinis tenuis, temperatus & ad caliditatem siccitatemq; nõ nihil inclinans: Pro sanguinis verò crassi colliquatione necesse est adhibere aerem non nihil calidum & evidentér humidum. Si porrò idem sanguis qualitatum præternaturalium superantia peccet, talibus qualitatibus aer instruetur, quæ temperamento ægri hominis naturali consentiant & morbi qualitatibus contrariæ sint.

Quo-

Quomodò autem in aerem, quando ob anni tempus & aeris statum haberi eædem non possunt, arte & industria tales qualitates inducantur, ex præcedentibus hujus libri capitibus satis patet. Alimenta in sanguinis cõsistentia tenui, quantitate qualitateq; peccante, offerimus calefacientia & siccantia, quando tenuitas frigiditatem adjunctam habet. Eligimus autem substantia sicca, quæ plus excrementi, quàm nutrimenti præbent, ut & copia sanguinis minuatur, & reliquum probè concoquatur atq; tenuitas, ob frigiditatem cruditatemq; orta, alteretur. Hujus generis alimenta suprà recensuimus, cùm de pituitosorum humorum coctione egimus. Ex quib⁹ hæc pauca præsenti intentioni admodùm cõveniunt, nimirũ semen carui, cumini, anisi, dauci, fœniculi, cardamomi, mẽta, origanũ, chere foliũ, sinapi, vinũ vetus, colore flavum, sapore gratũ, odore bonum, efficacia forte. Quando verò sanguinis *Alimenta.*

nis

nis cõſiſtentia tenuis, quantitas multa & qualitas calida eſt, tum non conveniunt calefacientia, ſed mediocriter refrigerantia & incraſſantia, minimum verò ſanguinis generantia, ut ſunt acetum, agreſta, caro animalium multorum annorum, caules, agreſtes & acetoſi, cibi ſicci & pauci nutrimenti, dactyli pontici, endivia, lactuca, granata acetoſa, lentes, naſturtium aquaticum, paſſulæ auſteræ, poma acetoſa, portulaca, pyra adſtringentia & acida, radicula valdè ſalſa aut muria macerata, uvæ ponticæ & immaturæ, ceraſa acetoſa, cruda aut exiccata & cocta, vinum ponticum & auſterum. Non autem valdè cum ciborum oblatione inſiſtendum, ſed potiùs longa jejunia & multa exercitia in curatione hujusmodi morborum imperanda ſunt. Nihil enim meliùs nimiam humorum & ſimilarium membrorum humiditatem exiccat, quàm inedia & multus ante ciborum ſumptionem labor,

Lib. 7. Aph. part. 60.

labor, exercitia fortia & somnus. Ita enim non promovebitur sanguinis fluxus, sed copia ejus absumetur & reliquus ad justam consistentiam redigetur, ut non tam pronus ad fluxum sit. Sic in crassa sanguinis consistentia, cui quantitas & qualitas peccans adjungitur, si qualitas frigida sit, alimenta conveniunt attenuantia, parum nutrientia & calefacientia, quæ incidere, attenuare & sanguinem fluidum facere possunt, ut sunt juscula gallinarum, caponum, carnium, cum aromatis calefacientibus, ut mace, pipere, cardamomo, zingibere, cinnamomo, cepis aut melle præparata, allia, porrum, amygdala amara, pistacia, sinapi, beta cum sinapi macerata in musto recenti, cappares cum aceto & melle, ficus siccæ, raphanus, vinum vetus & tenue. Sin autem sanguinis consistentia crassa, copia multa & qualitas calida fuerit, convenient incidentia, aperientia & liquefacientia frigida,

quæ non tam ſanguinis copiam generare, quàm humectare poſſunt, ut ſunt lac aquoſum, ſerum lactis, aqua hordei, aqua mellis, emulſio quatuor ſeminum frigidorum, hordeum confractum, papaveris juſcula, ficus recentes. Cavendum verò à cibis ſtipticis, ut ſunt cytonia, oriza, milium panicum, oleum ponticum, olivæ ſalſæ, uvæ in ollis repoſitæ, placentæ dulces & in butyro frixa ova, vinum auſterum & adſtringens. Deniq; in conſiſtentia ſanguinis tenui vel craſſa, quæ defectum conjunctum habet, ſi à ſuperaſſatione humorum illa fiat, ut contingit in longa inedia, uſu ciborū valdè calefacientium & ſiccantium, duris laboribus, fortibus exercitiis, opus eſt frigefacientibus & humectantibus talibus, quæ calorem naturalem non nimiùm alterent, ſed poſt coctionem laudabilem boni ſanguinis copiam præbeant, ut ſunt endivia, lactuca, malva, blitum, atriplex, cremor ptiſanæ, mercurialis, aſparagus,

ragus, ſpenachia, pruna Damaſcena, aqua ſacchari, aqua mellis, mulſa. Sin defectus ille provenerit ex uſu ciborum non valdè nutrientium, ut ſunt cibi ſicci aut valdè humidi, qui multò plus excrementi, quàm boni ſanguinis præſtant: vel ex multis inanitionibus aut animi triſtibus paſſionibus caloris naturalis imbecillitas tanta ſit, ut ſufficientiam ſanguinis boni non generet, maximè cavendum eſt ægris à cibis frigefacientibus & inflantibus, ut ſunt bulbi bis cocti, olera omnis generis, cicera, fabæ, ficus recentes, hordeum non benè coctum, lac, lentes, melones, cucumeres in garo macerati aut crudi, mel crudum, milium, panicum, palmulæ, muſtum, rapæ crudæ, uvæ recentes, nuces humidæ, cremor ptiſanæ. Abſtinendum etiam à carnibus animalium quadrupedū, quæ in locis paluſtrib⁹ foventur. Nam Ariſtoteles Lib. 8. de animalibus carnem cujuſq; quadrupedis deteriorē eſſe, cū in locis paluſtri-

ſtribus paſcitur, quàm eorum, quæ in editioribus & montanis locis aluntur, aſſeverat. Aſſumendi verò cibi facilis digeſtionis, pauci excrementi & mediocris nutrimenti, ut ſunt juſcula pinguia carnium bubularum, caponum, gallinarum, carnes caponum contuſæ & brodio miſtæ, confectum pulmentum ex triticeo pane, vel farina ſimilaginea, amygdalis dulcibus & ſaccharo, quæ ſimul in brodio caponum, gallinarum vel carnium bubularum coquuntur divitibus, pauperes ſolo pane triticeo, in aqua cum butyro & ſale cocto contenti eſſe poſſunt: aviculæ montanæ, perdices, phaſiani, áttagenes, carnes caſtratorum animalium, ficus antiquæ cum nucibus, panis triticeus, benè cum ſeminibus calefacientibus & modico ſale præparatus ſufficienterq; coctus, piſces ſaxatiles. In horum verò alimentorum uſu conſuetudo æquè, atque vires, ætas, ſexus & vitæ genus hominis ægri, tum anni & regio-

regionis constitutio observanda venit, quàm subitò & valdè mutare non caret periculo; ut Hippocrates Lib. 2. de victu acutorum morborum part. 55. testatur. Grave enim malum hominis vitæ & valetudini afferremus, si alimentorum intempestiva & immodica oblatione ventriculum obrueremus ejus corporis, cujus venæ ex quacunq; causa sanguine exinanitæ conciderunt. Sicuti autem salubria corpora pauco cibo subitò exsolvi docet Hippocrates lib. 2. Aphor. part. 36. Ita corpora longo tempore attenuata in magnum discrimen veniunt, quando alimentis subitò reficiuntur & nimia repletione obruuntur: quandoquidem repletiones, quæ ad extremum deducunt, æquè graves & periculosas, atque inanitiones nimias, quæ ad extremum tenuitatis deducunt, Hippocrates libro 1. Aphor. part. 4. asserit. Vbi deniq; venenosæ qualitates sanguinis consistentiæ, quæ quantitate peccat, accedunt:

Lib. 2. Aph. part. 7.

dunt: ibi earum ratio habenda est in victu non aliter, atq; in præcedente capite dictum est. Quorum corpora sanguinis tenuis copiam multam & qualitatem frigidam habent, ex quo morbi fieri incipiunt: iis somnum moderatum jejuno ventriculo aut cùm jam cibus assumptus descendit ad intestina, nocturno tempore in conclavi calido & sicco cōcedemus: monebimusque, ut externa membra mollibus & calidis tegumentis adversus aeris nocturni frigus muniant. Calor enim naturalis, collectus tempore somni intra viscera, deserit externa mēbra & humores in instrumentalibus membris ampliùs calefaciendo coquit ac elaborat, unde plus de humorum sanguineorum massa absumeretur & corpori apponitur tempore somni, quàm dum homo vigilat. Meliùs verò tēpore vigiliæ humores in similaribus particulis cōsumuntur & resoluti per insensibilem perspirationē difflantur. Sicuti itaq; vigi-

Somnus & vigilia.

vigiliæ plus refrigerant totum hominis corpus & humorem ſanguineum, dum calorem naturalem diſſipant. Ita tēpore ſomni interna membra, quæ naturalibus facultatibus ſerviunt, magis caleſiūt & humores perfectiùs elaborantur. Vbi verò ſanguis tenuis, frigidus & copia paucus eſt, ſomnum mediocrem nocturno tempore concedimus: ſed vigilias longas præcipimus, ne videlicet calor naturalis omnino humorem ſanguineū conſumat, dum collectus intra corp, humanum nutritioni membrorū acriter incumbit. Contrà in multa ſanguinis craſsi & calidi copia vigilias multas & ſomnum brevem concedimus. Tempore enim ſomni calor naturalis craſsitiem ſanguinis calidi auget, quem vigiliæ refrigerant & diſsipant, ne calori ſanguinis addat: Sicuti ſanguinem craſſum, copioſum & frigidum ſomno mediocri coquere, ſubtilem & calidum reddere ſtudemus. Sanguinem verò craſ-

ſum

dunt: ibi earum ratio habenda est in victu non aliter, atq; in præcedente capite dictum est. Quorum corpora sanguinis tenuis copiam multam & qualitatem frigidam habent, ex quo morbi fieri incipiunt: iis somnum moderatum jejuno ventriculo aut cùm jam cibus assumptus descendit ad intestina, nocturno tempore in conclavi calido & sicco cõcedemus: monebimusque, ut externa membra mollibus & calidis tegumentis adversus aeris nocturni frigus muniant. Calor enim naturalis, collectus tempore somni intra viscera, deserit externa mẽbra & humores in instrumentalibus membris ampliùs calefaciendo coquit ac elaborat, unde plus de humorum sanguineorum massa absumeretur & corpori apponitur tempore somni, quàm dum homo vigilat. Meliùs verò tẽpore vigiliæ humores in similaribus particulis cõsumuntur & resoluti per insensibilem perspirationẽ difflantur. Sicuti itaq; vigi-

Somnus & vigilia.

vigiliæ plus refrigerant totum hominis corpus & humorem ſanguineum, dum calorem naturalem diſſipant. Ita tēpore ſomni interna membra, quæ naturalibus facultatibus ſerviunt, magis caleſiūt & humores perfectiùs elaborantur. Vbi verò ſanguis tenuis, frigidus & copia paucus eſt, ſomnum mediocrem nocturno tempore concedimus: ſed vigilias longas præcipimus, ne videlicet calor naturalis omnino humorem ſanguineū conſumat, dum collectus intra corp, humanum nutritioni membrorū acriter incumbit. Contrà in multa ſanguinis craſsi & calidi copia vigilias multas & ſomnum brevem concedimus. Tempore enim ſomni calor naturalis craſsitiem ſanguinis calidi auget, quem vigiliæ refrigerant & diſsipant, ne calori ſanguinis addat: Sicuti ſanguinem craſſum, copioſum & frigidum ſomno mediocri coquere, ſubtilem & calidum reddere ſtudemus. Sanguinem verò craſ-

ſum

ſum & paucum, qualitate frigidum per ſomnum attenuare & calefacere, deinde etiam coctione reliquorum humorum augere: ſicuti ſanguinem craſſum, multum & calidum vigiliis multis attenuare, abſumere & refrigerare nitimur. *Exercitium & quies.* Exercitia multa & fortia, ad ſudoris profuſionem ante cibi ſumptionem facta, ferre poſſunt citra noxam corpora, quæ ſanguine tenui craſſové, in magna copia & frigida qualitate pollent: Otia enim humores magis refrigerant & incraſſant: Quæ verò corpora tenui craſſové ſanguine nutriuntur, & ejus paucam quantitatem, cui ineſt calida qualitas, habent intra venas: ea modico exercitio & multo otio ita regi oportet, ut minium de ſanguine abſumatur & calor nimius in eo alteretur. *Inanitio & repletio.* Omnis vero ſanguinis copia, ſive conſiſtentia craſſa ſive tenuis ſit, quamcunq; qualitatem, calidam vel frigidam, eamq; benignam vel malignam habeat, minui deſiderat:

rat: modò inanitiones naturæ morbi incipientis, ægri temperamento, viribus, ætati, sexui & consuetudini, deniq; etiam tempori anni & aeris qualitatibus dominantibus competentes fiant per venæ sectiones, cucurbitularum cum scarificatu appositarum usum, hirudinum appositiones, hæmorrhoidum apertiones, menstruorum provocationes, balnea mineralia sudoremvé provocantia in aere calido, sudorem fomentis, tegumentis exercitiisq; productum, Veneris libidinem aut inediam vel frictiones sudorificas. Hoc tamen tenendum, sanguinem subtilem proniorem esse ad educendum per venæ sectiones, cucurbitulas, hirudines, hæmorrhoides & sudorem, quàm cùm sanguis crassus est. In sanguinis verò consistentia subtili aut crassa, cui adest defectus, quacunque qualitate infectus ille sit, inanitionum genera nulla aut ægerrimè admittuntur: Alteratio tamen qualitatum & consistentiæ cor-

rectio cõmodè facta nihil noxæ corpori ad infirmitatem inclinato, aut jam in ea hærenti, infert. Sicuti autem antè diximus in sanguinis defectu cavendam subitam repletionem, ita in redundantia sanguinis, quacunque qualitate consistentiaq; præditi, moderata virium refectio probatur: satietas verò noxia advertitur: Animi denique affectus in copia sanguinis tenuis crassivé, cujus qualitates ex cruditate frigidæ sunt, oportet esse lætos, tranquillos aut aliquali iracundia interdum concitatos: contrà in abundantia sanguinis tenuis crassivé, cui qualitates insunt calidæ, mœror, tristitia, metus, anxietas & solicitudo non inconvenienter excitantur. Hi enim affectus calorem naturalem coarctant & refrigerant: Illi verò eundem excitant, recreant & roborant. Vnde humores in lætis animorum affectibus, sicuti & in iracundis, calefiunt: in tristibus refrigerantur; in placidis

Amini affectus.

dis & ſedatis bona temperie fruuntur.

CAP. X.

Diæta, quâ curantur morbi acuti, qui ex ſanguine peccante jam facti ſunt.

CVm advertimus ſanguinem cõſiſtentia, quãtitate qualitateq; peccantem jam fluxiſſe & locũ affectum ita occupaſſe, ut morbus radices in eo fixerit: ante omnia contemplando inquirimus, an ſanguinis conſiſtentia, plenitudo vel qualitas maligna adhuc in toto corpore dominetur. Hæc enim ubi adhuc præſentia ſunt, corrigendo, minuendo & alterando immutantur antè, quàm morbum factum curare incipimus. Deinde morbi, qui in loco affecto ſedem fixiſſe advertitur, curationem aggredimur. Et primò quidem aerem eligimus ægro homini tempe- *Aer.*

 ratum

ratum vel miti tepore instructum, quando consistentia tenuis ex cruditate sanguinis oritur. Si autem consistentia ista à mistura calidorum humorum fiat, aerem temperatum aût non nihil ad frigidum declinantem esse in conclavi ægri hominis oportet. Sic in crassa consistentia, quæ à frigiditate orta est, aerem evidenter calidum & humidum optamus: & quæ à caliditate assationeque humorum provenit, refrigerante humectanteque aere indiget. Deniq; infestantes corpora humana qualitates contrariam aeris temperiem flagitant: sicuti quantitas minui & defectus bonis alimentis substitui desiderat. *Alimenta.* Quemadmodum autem in morbo, qui ex plenitudine jam factus est, sive plenitudo habeat adjunctam cõsistentiam tenuem sive crassam, tenuissimo victu utimur, quo calor naturalis tantùm fovetur & vires conservantur. Hoc facimus eam ob rem, ut natura id, qúod superfluum est de bono

bono nutrimento, absumere & in succum atq; usum suum convertere cogatur, hoc unum observantes, ut in cruditate adhibeantur alimenta coctionem juvantia ita, ut crudus & tenuis sanguis coctione ulteriore inspissetur: crassus verò attenuetur & liquefiat. In qualitatum etiam excessu alimenta offerantur, quæ noxias qualitates alterando consonantiam temperamenti naturalis reducant. Ea propter offerimus cibos multi excrementi & pauci nutrimenti, ut sunt nervosæ animalium esui aptorum partes, pedes & ascellæ, allia, lentes, olera, ova frixa in sartagine cum butyro aut in testis cocta, caro bovina, caprarum antiquarum, hirci sylvestris, vaccarum antiquarum, caules, cepæ, cicera recentia, citrulli, cucumeres, ficus multæ, si una vice edantur, fœnugræcum, fungi, milium, panicum, oriza, panis ex veteri farina, ex furfuribus vel hordeo, pastinacæ, raphanus, renes, ventres, inte-

ſtina, piſces veteres, duri & viſcoſi, poma matura, pyra matura & cruda. Ita in curatione morborum, qui ex deficientia ſanguinis facti ſunt, ſi tenuitas & qualitates malignæ ei adſint, pleniore alimento corpora ægra reficere tutò poſſumus. Adhibemus proinde cibos boni & craſſi nutrimenti, facilis digeſtionis & pauci excrementi, ut ſunt carnes vitulinæ, epata, inteſtina & ubera vaccarũ, lac recens, laganæ & placentæ butyro, lacte vel ovis præparatæ, panis triticeus, caſeus humidus, fabæ. Potum concedimus vinum dulce, nõdum planè defæcatum. Vbi verò advertimus ſanguini pauco etiam craſſitiem adjunctam, ei, quæ ex frigiditate eſt, ordinamus calefacientes & humectantes cibos, ut ſunt juſcula carnium, caponum, galli veteris, boum, quæ zingibere, mace, croco, ſale vel etiam aliqua piperis portione condiantur: Idem faciunt juſcula ex vino vel cereviſia triticea cum luteis ovorum, cro-
co,

co, floribus nucis Moſchatæ, modico zingibere & ſale vel ſaccharo condita. Concedimus etiam, ut vino mediæ ætatis hujusmodi ægri utantur. Arcebimus autem eos à ciborum refrigerantium & obſtruentium uſu, ut ſunt caſeus multꝰ, chondrus, cruda omnia, nimis dulcia, viſcoſa & glutino ſcatentia, dactyli humidi, lac aquoſum, mel, mulſa, ſaccharata omnia, in butyro frixi cibi & ova dura. Neq; comedimus eis uſum muſti, neque vini dulcis, neq; auſteri & adſtringentis. Proinde etiã talibꝰ ægris interdicimus uſu ciborum crudorum & ventrem inflantiũ, quales ſunt bulbi bis cocti, cicera, cuminum, fabæ recentes, ficus virides, hordeum non benè coctum, lac, lentes, mel crudum, milium, palmulæ, paſſũ, rapa cruda, uvæ recentes. Potus turbidus, crudus & flatulentus etiam eis nocet. Quare non damus aquam hordei, neq; muſtum, neq; vinum valdè dulce, neq; nimis auſterũ vel adſtringens, neq; cereviſiam craſſam aut ex hordeo coctam. Quando

deniq; sanguis paucus & crassus est in corpore ægro propter exuperantem calorem & siccitatem, jusculis carnium, vini vel cerevisiæ triticeæ & defæcatæ cum luteis ovorum & saccharo præparatis utimur, citra aromatum admistionem. Adhibemus etiam atriplicem, malvam, mercurialem, blitum, ciceres recentes, pruna, ptisanæ cremorem, betam, caricas recentes, hordeum coctum, carnes parvorum animalium. Ad sitim restinguendam offerimus mustum recens, aquam mellis, aquam hordei, aquam cucurbitæ, peponis, emulsiones quatuor seminum frigidorum, majorum, oxymel simplex, prunorum decoctum, aquam saccharatam & aquosa omnia. Vnicè autem observamus, ut cibi convenientes istiusmodi morbis dirigantur maximè ad locum affectum per aromata & ea, quæ cum loci affecti naturali temperamento ratione essentiæ occultæ vel manifestæ qualitatis cognationem habent, ut paulò

paulò post copiosiùs dicetur. Somnū ægris, qui ex plenitudine, cui tenuitas vel craſſities & frigiditas adjungitur, in morbos inciderunt, concedimus nocturnum, qui etiam ſpacium novem horarum attingat: ſi verò tenuitas aut craſsities ex caliditate oriatur, longiores vigilias & breviorem ſomnum illis convenire cenſemus. Contrà qui ex ſanguinis defectu facti ſunt morbi, ſive craſsities ſive tenuitas cum quacunq; qualitate adeſſe advertatur, ſomnum longum paulò poſt cibum aſſumptum, ut nimirum boni ſanguinis copiam ex alimentis generare poſsit calor naturalis, in membris nutritivis collectus, dum animans quiete fruitur, eis convenire ſtatuimus. Vigiliæ enim ſanguinem magis exiccant & ſimilaria membra cogunt, ut plus alimenti attrahant, unde fit, ut ſanguinis copia minuatur & conſiſtentia craſsior fiat. Porrò membra, quæ ob plenitudinem morbis correpta ſunt, exerce- *Somnus & vigilia.* *Exercitium & quies.*

ri debent, ut calor naturalis in iis anctus superfluum fortiùs invadat & absumat vel à se propellat. Si exercitia fieri nequeant, locum eorum supplebunt frictiones & fomentationes, quæ locum affectum mediocriter calefaciunt, poros aperiunt, copiam sanguinis resolvunt, evocant & dissipant. Non improbantur etiam ligaturæ, quæ in contraria parte factæ à loco affecto materiam trahunt & è profundo ad externa membra sanguinem redundantem evocant. Omninò autem quies iis noxia est. Nam otia replent corpora & calorem naturalem, qui plenitudine gravatur, ampliùs languefaciunt. Contrà ubi morbos generatos esse videmus ex defectu sanguinis in corpore, frugaliter conservetur: & ægros ab omni labore exercitiovè arcemus, quandoquidem exercitia & labores calorem naturalem roborant atque faciunt, ut plurimum de sanguinea substantia in corporibus ægris æquè,

ac

ac sanis, absumatur. Sicuti autem maximè cavemus, ne multo aut sanguinem copiosum generante alimento obruamus corpora, quæ ex plenitudine morbis corripiuntur, sed tenuissimo victu vires ægris corporibus conservare studemus: imò omnia inanitionum genera, quæ plenitudini conveniunt & ab ægro ferri citra noxam consueverunt, tutò adhibemus, modò loco affecto conveniant: Ita in morbis, qui ob defectum sanguineæ massæ in aliquo corpore aut particula radices egerunt, necessariò defectum bono & utili alimento restituere nitimur membrorumque morbo ex tali causa correptorum tractionem juvamus, viarum, per quas nutrimentum assumũt, obstructionem aperientes & sinapismis, frictionibus ligaturis dolorificis & aliis rationibus attractionem alimenti promovemus. Inanitionum verò genera nulla admittimus, cùm non subtractione, sed additio- *Inanitio & repletio.*

Animi affectus. ditione boni sanguinis opus sit. Animi affectus sedati & tranquilli plenitudine laborantibus hominibus cõveniunt. Ira enim humores inflammat & ad motum concitat: Lætitia eosdem calefacit & movet: mœror metusque eos refrigerant, in crassant & gravibus morbis initium faciunt. At qui ob defectum sanguinis, consistentia qualitateq; peccantis, inciderunt in morbos, ii lætentur & fronte exporrecta sint, si caloris naturalis imbecillitas hujus defectus causa fuerit: sin ejus feruor & acrimonia sanguinem absumserit, tristitia, metu & solicitudine debilitandus atque alterandus, neutiquam verò iracundia & contentione ejus fervor intendendus erit.

CAP.

CAP. XI.

Quæ medico ampliùs in præscriptione diætæ, qua curare nititur morbos acutos, qui à sanguine, præter naturam se habente, jam orti sunt, observanda veniant.

IN his rationibus curandi morbos acutos, qui à sanguinis plenitudine, consistentia & qualitate præternaturali producti sunt & in aliqua corporis particula sedem fixerunt, diligenter attendendum nobis erit primò, quid morbi natura & qualitas requirant. Nam morbus ex abundantia factus subtractione superflui opus habet: sicuti ille, qui ex aliquo defectu essentiam suam sumpsit, substitutione ejus aut similis materiæ, quæ deficit, abigitur. Hinc rectè asserit Hippocrates Lib. 2. Aph. part. 22. morbos ex repletione factos evacuatione curari: ut morbi exinanitio- *Morbi natura & tempe-ries quid velint.*

ne

ne orti repletione & aliis suis contrariis curantur. Qui verò morbi fiunt ob superantes sanguinis qualitates, sive illæ simplices sive cōpositæ fuerint, alteratione idonea ac tempestiva curari desiderant: Quando tamen morbus longè à naturali corporis sani statu abesse advertitur, subitis auxiliis, iisque fortibus abigi solet: alioqui periculosus fieret, veluti morbus, qui non longè à naturali statu corporis ægri abest, mitib⁹ auxiliis indiget. Monet etiam hæc observatio nos de salute vel periculo ægri hominis. Nam morbi, qui longè à temperie naturali sanaq; hominis absunt, periculo non vacant: ii verò salutarem exitum habent, qui naturæ hominis consentiũt. Hujus nos monere voluit Hippocrates, cùm Lib. 2. Aph. part. 34. scripsit in morbis minùs periclitari, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quàm quibus secundum nihil istorum convenit. Secundò temperamentum naturale

turale vel adquisitum, quod latitudinem sanitatis non excedit, sui cõservationem requirit. Sive itaq; morbi natura sive qualitates contrariæ temperamento sano indicent abstractionem, appositionem alterationemvê necessariam esse, omnibus modis cõservationem temperaturæ sanæ prudenter æstimare & ei diligenter studere debemus. Et quando morbi natura qualitatesque longè à temperamento sano absunt, semper apponentibus æquè, ac subtrahentibus & alterantib,, aliquid admiscendum, quod temperamentum sanum, propter aliquam qualitatũ primarũ familiaritatem vel occultã essentiam, conservet & roboret: alimentorũ tamen facultates agendi, necessarias ad incolumitatem ægro homini restituendam sua multitudine vel efficatia neutiquam impediat. Temperamenti enim status quãm diu conservatur, tam diu etiam facultates animæ in corpore & ejusdem particulis, in quibus singulæ sua munia habent, essentiam suã retinent

Temperamentum naturale ægri quis requirat.

&

& propria munia obeunt, veluti instrumentorum aptitudo finit: instrumenta item sana sunt. Vt primùm verò temperamentum læditur, facultates noxam sentire solent &, si læsio illa habeat adjunctam materiam, à qua instrumenta vel gravantur, vel tenduntur, vel obstruuntur, vel variis qualitatibus afficiuntur, ut taceamus externos & fortuitos instrumentorum casus, qui varii sunt, utputa ruptura, fractio, contusio, divisio, punctio, compressio, luxatio, adustio &c. instrumenta etiam affici contingit. Quæ omnia indicant in alteratione, diminutione appositioneq;, quæ per alimenta & alias vivendi rationes fieri in morborum ablatione debent, cōservationi temperamenti, facultatum & instrumentorum vel maximè studendum. Tantisper enim nostræ intentiones effectus suos ostendent, quousque natura suis facultatibus & organis nostros conatus juverit. Quibus collapsis, destructis & cessantibus,

bus, frustrà suscipiemus, quidquid in morborum curationibus moliri voluerimus. Tertiò virium robur omninò conservari & neutiquam debilitari vult. His it[illegible] sibi constantibus, morbi acuti planè tenuem victum ab initio usq; ad statum, in quo exquisitè tenuissimo victu utendum præcipit Hippocrates libro 1. Aphor. part. 7, requirunt, si celeriter ad vigorem suum properare advertantur. Sin de numero eorum morborum fuerint, qui quidem acuti sunt, verùm tamen non ita subitò vigorem suum contingunt, in iis pleniore victu virium robur conservandum, ut earum qualiscunq; integritas ad statum usq; morbi duret. Tantum enim alimenti indulgendum, quantum morbus extremis mitior. Alioqui in talibus morbis vires propter tenuem victum antè conciderent vel nimiùm debilitarentur, quàm morbus ad statum perveniret: & ita in statu eædem morbi violentiæ non re- *Virium robur considerandum est.*

ſiſtere valerent. Quando autem vires ſunt debiles, ante omnia earum inſtaurationi intenti erimus: & tamen, quidquid ad morbi vim debilitandum uſui fore cenſuerimus, nullo modo omittemus. Tenuem proinde victum offeremus, qui tum à debilibus naturæ viribus citra difficultatem confici poſſit, tum virium robori addat & intentionem noſtram in debilitando morbo perficiat, ſive hic additionem, ſive ſubtractionem, ſive etiam alterationem requiret. Denique, viribus robore ſuo valentibus, tutò agemus & dextrè, quæcunq; agenda morbus & cauſa morbi præcipiet: Illis verò collapſis, ne manus quidem ægris admovere audebimus. Sicuti autem vires validæ appoſitionem, ſubtractionem & alterationem quamcunq; ferunt: ideo, cùm ſumma neceſſitas atq; periculi magnitudo nos urget, citiſſimè naturæ periclitanti ſuccurrendum, etiamſi omnem ſubitã mutationem periculo-

ſam

ſam dicat Hippocrates lib. 2. de victu acut. morb. part. 55. & debiles ſuaviter, paulatim tutoq; tentari atq; tractari cupiant, ne ſubita mutatione planè evertantur: Ita virium robur omni mutationi terminos certos præſcribit, ne confertim & ſubitò aliquid fiat, quod curatio morbi requirit, ſed iteretur potiùs actio neceſſaria ægri ſaluti, quàm ut tēerario motu natura in gravius malum præcipitetur. Hoc voluit innuere Hippocrates, cū dixit lib. 1. Aph. part. 17. diligenter cōſiderandum eſſe, quibus ſemel aut bis cibus offerendus ſit: & plura ne, an pauciora, particulatim exhiberi conveniat. Quartò ætas ægri hominis advertenda venit. Nam puerorum & adoleſcentum corpora à natura humida ſunt. Quamobrem victum humidum requirunt, quandoquidem alimenta temperamento naturali ſimilia in omnibus morbis offerēda ſunt. Habent autem pueri & adoleſcentes corpora rara, humores ſubtiles, mēbra mollia,

Ætas ægri hominis quid requirat.

calorem multam eumque humidum. Quare cùm ob nimiam humorum superfluitatem, inordinata vivendi ratione collectam, calefieri & exiccari debebunt, non valdè calefacientibus discutientibusq; tentanda erunt. Alioqui eorum corpora ejusmodi medicamentis citò resolverentur. Sed iis ipsis, quæ vim calefaciendi, siccandi & consumendi habent, aliquid humectantium addendum, ut ætatis naturale temperamentum eo juvetur & conservetur. Iuvenum corpora sunt sicca, robusta & admodùm calida. Proinde similium facultatum alimentis juvari nulloq; modo valdè humectari aut refrigerari desiderant, quando morbi temperamento cõsentientes illa invaserunt. Consistentium ætas frigida & sicca fieri incipit. Inde colligimus mediocriter calefacientia & humectantia convenire iis, quando morbis proprio temperamento cõmunicantibus, ratione temperaturæ præternaturalis, infe-

ſtantur: Quando verò contrariarum qualitatum morbis corripiuntur, intenſe frigefacientia & ſiccantia in ſex rerum non naturalium adminiſtratione non improbantur. Quæ tamen eò uſque admovenda erunt, donec ad naturalem ſtatum corporis ægri intemperies, non conſentiens ætati, reducta fuerit. Alioqui enim præmatura ſenecta ægris hominibus adduceretur, ſi tali alteratione juſtum ſcopum transgrederemur. Corpora ſenum inſtrumenta habent humida & pituitoſis ſuperfluitatibus referta: ſolidæ verò eorum particulæ ſunt ſiccæ, in quarum numero etiam comprehendimus cutem, ligamenta, nervos, arterias & venas. Si igitur, qui morbi, ex ſuperfluitatum humidarum collectione facti, advertantur: ita corpora calefaciemus & ſiccabimus, ne humidum radicale in ſolidis particulis, quod admodùm exiguum eſt, nimia alteratione diſſipemus aut conſumamus. Hinc fit, ut cauſæ mor-

bificæ rationem habere & ejus ablationem alterationemq; moliri cogamur: familiare tamen temperamentum ægrorum hominum quantitate & qualitate alimentorum cæterarumq; rerum non naturalium debita moderatione in tali ætate conservemus. Sic ubi morbi frigidi & sicci senes invadunt, diætam, quæ calefaciendo & humectando morbum abigat, ita ordinabimus, ut paulatim agat in corpus frigidum & siccum: & tantisper adhibebimus, donec nimia frigiditas & siccitas corrigatur justaque temperies corpori ægro restituatur. Calefacientibus etiam & humectantibus alimentis semper aliquid addemus, quod frigidam siccamque temperiem corporum ægrorum oblectet & juvet. Huc accedunt observationes de anni tempore, regionis qualitate & cœli statu tenendæ. Si enim acuto morbo & ejus tum causis materialibus, tum qualitatibus consentiant, alterari volunt. Sin contra-

Anni tempus regio & cœli status quid postulent in dieta à medico.

ria

ria fuerint, morbi & causæ morbificæ expugnationē promptiùs juvabunt. Hinc calida & sicca eorum temperies sanguinis nimiam subtractionem ne in plenitudine quidem, multò minùs in sanguinei humoris defectu aliquam ejus subductionem fieri permittit, etiamsi acuti morbi natura hoc requirit: aut certè parum sanguinis detrahitur ab eo; qui necessitati serviendum in corpore valdè plethorico censuerit. In tali enim tempore, regione & cœli constitutione pori cutis sunt aperti, humores ad externa membra evocantur ad circumferentiam cutis: ibidemq; tum acri calore corporis, tum ambientis aeris qualitate calida & sicca resolvuntur, dissipantur & per insensibilem perspirationem evaporant. Quare fit, ut calefacientia & siccantia nullo modo adhibeantur in victus ratione per talem temporis & regionis qualitatem cœliq; statū, si morbus calidus & siccus sit: Sed potiùs universa victus

ratio ita instituitur, ut frigefaciendo & humectando eò usq; ægrum corpus alteret, donec incolumitatem suarum virium & actionum integritatem recipiat. Nullas præterea inanitiones fieri permittimus, etiamsi quid detrahendum sit corpori: sed victus ratione refrigerante ac humectante alteramus &, quæ alterando in melius restitui nequeunt, dissipare aut valdè humectantibus subducere nitimur. Contrà frigido, humido siccové anni tempore existente, ut & in tali regionis cœliq; statu, si morbus ex sanguinis plenitudine, quocunq; modo illa sese in consistentia aut qualitate habeat, ortus sit, securè subtractionem ejus molimur & audacter de eo tantum auferimus, quantum necessitas ad morbi ablationem & ægri sanitatem requirit.

Vitæ genus. Quo loco etiam vitæ genus inspiciendum est. Nam otiosum & delicatum multa humiditate abundat: & ideo opus haberet multa inanitione se-

ſed delicati mores eam non ferunt. Proinde paulatim ſuperfluitate noxium ſubducendum eſt. Quod fit, cùm offeruntur humectantia & alvum lenientia: exercitia & jejunia, frictiones, balnea ſudorifica ac mineralia imperantur Venerisque tempeſtivus uſus permittitur. Contrà durum & laborioſum vivendi modum ſequitur conſtitutio corporis ſicca, quæ ſuperfluitatibus non abundat. Quamobrem his minus auferendum fortiterq; alterandum. Et ſicuti illis venæ ſectio, hirudinum appoſitio, hæmorrhoidum apertio, menſium provocatio, cucurbitularum cum ſcarificatione uſus, ſi modò ferre conſueverunt, admodùm convenit: Ita hi talium præſidiorum abhibitione vel maximè læduntur. Quintò per ſexum ægrorum monemur, ut viris copioſiùs validiusq;, quàm fœminis adhibeamus id, quod in ratione victus neceſſum eſt fieri ad recuperandum priſtinum amiſſæ ſanitatis ſtatum. *Sexus.*

 Cor-

Corpora enim eorum robusta sunt: Cùm fœminis verò mitiùs agamus & semper humidæ naturæ rationem habeamus. Conveniunt enim eis alimenta & res non naturales, qualiter eas pueris & adolescentibus adhiberi in morborum expulsione suprà diximus. Cùm autem interdum fiat, ut corpora muliebria sint non modò robusta, sed etiam calida & sicca, quæ dura & valida ferre citra noxam consueverunt, à mitibus verò & debilibus ne tentantur quidem: contrà juvenes & constantis ætatis viri, ob inordinatam victus rationem, naturale temperamentum, delicatum vivendi modum & alias causas, adeò debilia, frigida & humida corpora habere advertantur, ut fœmineis corporibus multò molliora debilioraq; sint, quæ mitibus alimentorum alterantiū vel quodcunq; agentium facultatibus facilè juvantur, sicuti fortibus & subitæ efficaciæ remediis citiùs, quàm pueri, adolescentes, se-

nes

nes & fœminæ, exolvuntur: prudentis medici est in curatione morborum acutorum, qui à sanguine peccante facti sunt, diligenter attendere, quæ virilibus & quæ muliebribus corporibus in qualibet ætate maximè salubri præsidio sint, quando morbis occurrendum est. Sexto consuetudinem tum vivendi, tum evacuandi peccantis humoris abundantiam semper & ubique in morborum curationibus observare debemus. Multi enim reperiuntur homines, qui vitiosa vivendi consuetudine per multa tempora usi, cùm ab ea recesserunt, in morbis inciderunt: & facilè, reducti ad suam consuetudinem, sanitatem recipiunt. De his loquitur Hippocrates lib. 2. de victu morborũ acutorum his verbis: Quòd vitiosam victus rationem, quæ nunquam variat, longè tutiùs sit observare, quàm subitò vel ad meliorem transire, facilè intelligitur. Quippe sive bis, sive semel duntaxat in die quis cibum ac- *Consuetudo.* *Lib. 3. de victu acutorum mor. part. 56.*

cipere

cipere solitus est, si subitò consuetudinem mutaverit, noxam imbecillitatemq; subibit. Etenim prandium assumens, qui id non consuevit, protinùs imbecillis, gravis, æger segnisq; fit. Quòd si præterea cœnaverit, ructus acidus & alvilenitas subsequetur. Gravatur enim sub insueto onere ventriculus, qui anteà aridus esse ac neq; bis intumescere, neq; toties cibum coquere solebat. Quod de cibi sumptione diximus, id intelligendum est tum de somno & vigiliis, in quibus multi multas varietates habent, ut aut interdiu dormiant & nocte vigilent, aut statim à prandio & cœna cubitum se conferant, aut interdiu non dormiant & ad profundam noctem vigilent, aut manè surgant & tempestivè cubitum se conferant: ut hoc loco non multum referamus de iis, qui vel in loco frigido vel in calido dormire solent aut nequeunt: tum de exercitiis & quiete. Nam aliqui nullis exercitiis laboribus

busvè indulgere, sed otio ignaviaque torpere: aliqui multùm exerceri & duriter laborare: aliqui jejuno ventriculo: aliqui eo repleto exercitiis laboribusque incumbere consueverunt. Si itaq; de sua consuetudine recesserint, statim noxam corpori & valetudini afferri advertent, ut docet Hippocrates Lib. 3. de victu acutorum morborum part. 57. his verbis: Corpus si ex multa quiete subitò ad vehementes labores de ducatur, magis lædetur, quàm ubi ex pleniore cibo ad venarum exinanitionem transmutatur. Illorum etiam corpora torpere necesse est, qui ex multa fatigatione repentè ad ignaviam socordiamq; sese cõvertunt. Proinde ventriculos ipsorum haud ita multo cibo exercere oportet, alioqui & dolore & gravitate totum corpus vexabitur. Aliqui abstinentia cibi humorum plenitudinem corrigunt: aliqui jejunia ægerrimè ferunt: sicuti hi crebra venæ sectione uti: illi cucurbitu-

larum

larum cum ſacrificatu appoſitarum auxilio plenitudinem ſanguinis ſubtrahi, ſudorificis medicamentis, exercitiis & balneis aereis, quæ ſudorem movent, vel mineralibus onere ſanguinis relevari, veluti & menſium provocationem, hirudinum ſuctionem, hæmorrhoidumvé apertionem æquo animo ſuſtinere malunt. Natura etiam multorum hominum à cibi potusq; copia abhorret & juſculis liquidisque eduliis delectatur: aliqui multum potant & pauco cibo nutriuntur: ſicuti quidam ſorbitiones cibis ſolidis præmittunt, quidam verò ſubjiciunt. Quod etiam de animi affectibus intelligendum. Plurimi enim tam adverſis, quàm proſperis in rebus æquam mentem habent & facili joco, muſico inſtrumento vel ſpectaculo qualicunq; ad animi lætitiam excitari poſſunt: contrà reperias alios pertinacis animi, quos innata, affectata vel aliundè concepta triſtitia & ſolicitudo adeò juvat, ut nullo modo

do ad lætitiam animiq; serenitatem commoveri, sed semper subtristi aut toruo vultu esse, gravitatem præse ferre & meditabundi videri velint. Quocunq; autem modo consuetudo vitæ mutatur, corpus hominis illam mutationem ægrè fert. Opera proinde danda nobis erit, ut in commodum ægri hominis aliquid condonemus consuetudini, & tamen immutationē ejus, quod molestat, paulatim moliamur. Noxium enim suo contrario optimè abigitur, ut testatur Hippocrates lib. 2. Aphor. part. 48. cùm inquit: In omni corporis motu, qui laborem facere incipit, quies statim lassitudinem aufert. Septimò attēdenda sunt morborū acutorū tempora. In insultu enim morbi liberaliùs nō modò fovere corpora, verùm etiā pl' de materia peccāte auferre fortiusq; alterare ej' qualitates, quā in statu aut declinatione, possunt. Materiā enim sanguinea si causa essentialis morborum acutorum sit, neq: multa coctione, neque præ-

Morborum acutorum tempora.

præparatioue, neq; alteratione indiget: ſed ejus ſuperfluitas auferri & intemperies alterando corrigi deſiderat. Nunquam enim in his morbis purgatione utendum, niſi leniente pharmaco materias in inteſtinis contentas auferre ſtuduerimus, ne videlicet in locum emiſsi aut quocunque modo minuti ſanguinis alius impurus ex materiis, in inteſtinis & venis meſaraicis collectis, trahatur. Idē de augmento morbi ſentiendum, ſaltem in hoc morbi tempore obſervandum, quòd quantò propiùs accedit ad ſtatum, tantò magis de alimento ſubtrahatur. In vigore verò ſuo exquiſitè tenuem victum morbi acuti requirunt, ne ulla re perturbetur natura, circa peccantis materiæ coctionem ſolicita: ſed quies naturæ agenti permittenda, ut docetur ab Hippocrate, qui lib. 2. Aphor. part. 29. inquit: Cùm morbi inchoant, ſi quid movendum videtur move: cùm verò conſiſtunt ac vigent, melius eſt quietem habere.

Lib. 1. Apho. part. 24.

Quan-

Quantò deniq; declinatio morbi acuti fuerit vigori propinquior, tantò minus alimenti offerendum ægris corporibus, neque quidpiam subtrahendum, neque aliquid tentandum, unde virium debilitas sequeretur. Vires enim colligi & inanitionibus nequaquam debilitari debent. Si autem ex alimentorum convenienti quantitate & qualitate corpora ægra non reficiantur, sed debiliora fiant, de ejus valetudine restituenda non multum bonæ spei promittit medico Hippocrates, cùm ait: Ejus corpus, qui ex ægritudine benè cibatur, nihil proficere malum. Meliùs verò rem se habere cum iis, qui circa initia cibum non appetunt, & posteà bono ejus desiderio afficiuntur: signa enim esse, quòd ex morbo evasuri sint ægri, docet lib. 2. Aphor. part. 32. Vbi verò declinatio paulò remotiùs à statu morbi processerit & vires recollectæ fuerint, tunc residuum morbi concoqui & absumi tutò potest, ne reci-

Lib. 2. Aph. part. 31.

diva sequatur: plenior etiam cibatio non improbatur, quam vires caloris naturalis ferre & conficere citra detrimentum videntur. Adhæc alteranda sunt membra atq; roboranda, quæ morbi sedes fuerunt, ne vicissim talem morborum materiam colligant. Octavò non negligendus locus affectus, quem morbus & causa morbi essentialis occupavit. Quid autem ille requirat in curatione morborum acutorum, quæ per bonam vivendi rationem perfici debet, in sequenti, volente DEO, capite explicabitur.

Locus octavo.

CAP. XII.

Qualem diætam requirat locus affectus in curatione morborum acutorum, qui ex sanguine peccante facti sunt.

MEmbrum, in quo morborum acutorum, qui ex sanguine fomitem

tem suum habent, materia latet & morbum sustinet, loci affecti rationem subit, quàm diu morbus in eo consistere ex actionum læsione, qualitatibus & exeuntibus mutatis apparet. Requirit autem non modò talem vivẽdi rationem in cibo & potu, quæ suæ essentiæ & temperamento maximè competit ac morbo causæq; morbi præsentaneum remedium habet: verùm etiam vias & rationes inanitionum, quæ venæ sectione, hemorrhoidum apertione, mensium provocatione, sudore, cucurbitularum usu, frictione, fomentatione, ligatura diversionis causâ facienda, irrigatione & similib⁹ mediis fit, medico ostendit: Adhæc monet, per quas vias alimentorum idoneorum necessariæ facultates dirigi, aut eorundem substantia mitti debeat. Sicuti enim singulis mẽbris, quæ præcipuum usum in conservanda vita & incolumitate corporis æquè, ac cæteris vitæ muniis habent, sua sunt emunctoria & vasa, per quæ

Quid locus affectus expetat.

Medicus naturæ actum & motum imitari debet superfluitates tempore sanitatis ductu naturæ excernuntur: Ita eadem membra quando afflicta valetudine utuntur, per easdem vias noxia & superflua rejicere tentant, quem naturæ conatum medicus juvare debet. *Quando motus naturæ corrigitur.* Si verò natura consuetas vias relinqueret errore expultricis facultatis vel viarum ineptitudine: tum naturæ errantis motum corrigere & reprimere, vias legitimas aperire & naturæ facultates ad illas dirigere cogeremur. Aliquando etiam in membris, quæ plures excretionum vias habent, reliquis omissis, una eligitur à natura ad superflui & noxii excretionem, quam idoneam cognoscentes etiam retinere debemus, ne videamur aliquid moliri adversus conatum naturæ, quod valdè noxium ægris esset.

Loci affecti substantia. Excutienda igitur venit primò loci affecti substantia, quæ si rara & mollis sit, neutiquam duris ligaturis aut frictionibus, neq; fomentationibus valdè alterantibus locus affectus tentabi-

tabitur, neq; cibi solidi durivè eidem convenient: Sin densa duraq; advertetur alimentis validæ facultatis omninò & necessariò indigebit, localiaq; educendi, dissipandi, alterandi, roborandiq; facultatem habentia admittet ea, quæ à calore naturali alterata evidentem effectum ostendere possunt: fortes etiam frequentesque tum ligaturas, tum frictiones citra noxam feret. Deinde membri affecti temperies similis qualitatis alimenta & extrinsecùs admovenda præsidia requirit, nimirum ut conservetur & intemperies morbosa excludatur. Quando itaq; contrariis qualitatibus opus erit in alimentis & cæteris rebus non naturalibus, hoc unum tenendum venit, ut aliquid addatur, quod naturalem loci affecti temperiem delectet. Ita enim contrariæ qualitates & facultates promptiùs à particula affecta attrahentur, securiùs tolerabuntur & feliciùs operabuntur: Quod non fieret, si ad-

Temperies loci affecti.

miniculo cognatæ qualitatis destituerentur. Tertiò figura membri affecti nos monet tum de forma alimentorum, liquida ne illa esse debeat, an solida: tum de quantitate & modo, quo illa cum ægri hominis bono & commoda adhiberi possint. Nam si locus affectus habuerit multa vasa, tendentia ad alias particulas, aliquid addendum erit alimentis, quod eorum facultatem necessariam curationi morbi in loco affecto contineat, neq; per vias apertas ad alias particulas, quæ tali facultate non opus habent, ducat: deinde dirigentibus instruuntur necessariò alimenta subsidiis, ne facultas distribuens aberret à vase, quod facultati affectæ in læso membro servit: nevè aliæ membri facultates integræ non necessaria alimentorum efficacia turbentur aut violenter: Sic si vasa angusta fuerint & alimenta ad locum affectum devenire cùm facultatibus debeant, liquida sint oportet: sin vasa ampla fuerint,

Figura loci affecti.

rint, solidiora penetrare valebunt. Porrò vasa angustæ capacitatis non flagitant multa alimenta, sicuti vasa ampla faciunt. Et hæc si præcipitis descensus advertantur, non cōfertim exhiberi alimenta, conferentia aliquid suæ sanitati, sibi volunt: sed paulatim & frequenter. Imò etiam talia alimenta expetunt, quæ lenta, crassa & viscosa sunt atque inter descendendum aliquantisper adhærent. Quæ denique membra talem cavitatem habent, in qua alimenta aliquamdiu moram trahere possunt, tum liquida, tum solida in sat magna quantitate admittunt, quæ unica exhibitione evidentem aliquando effectum ostendere possit, cùm celeriter quid agi debet. Quartò, situs loci affecti profundus validæ operationis alimenta & præsidia, dirigentia continentiaque eorum facultatem necessariam ad sanandum, requirit: Propinquus autem simplicia & debilia alimenta, citra corrige-

Situs membri affecti.

tium, ducentium & continentium præsidiorum additionem promptissimè sustinet. His enim talia offerenda, qualia sunt, quando agere debent: Illis verò particulis & major quantitas & firmior efficacia convenit, qua agant tum demum, quando ad locum affectum perveniunt. Aliàs hæc, in parva quantitate & miti facultate oblata, consumerentur antè, quàm locum affectum contingerent. Quintò sensus acutus loci affecti non acria, neq; gravitate molesta, neq; dolorifica, neq; facultate alterandi fortia alimenta desiderat: Qualia necessariò offerenda sunt membris laborantibus morbo, quæ obtusum sensum habent. Hæc enim membra mitibus & blandis alimentorum facultatibus non juvarentur: Illa verò validis, acribus & multis alimentorum viribus gravissimè læderentur. Sextò loci affecti functiones nos monet, ut in subtractione, additione alteratione vé facultatum, à quibus actiones,

Sensus loci affecti.

Actiones loci affecti.

nes, necessariæ ad vitæ sustentationem, fiunt, rationem habeamus, neque quidquam committamus, quod eas aboleret, impediret vel depravaret. In omnibus itaq; actionibus, quas valetudinis reddendæ causâ suscipimus in ordinatione vitæ, eò maximè respicimus, ut facultates in principalibus membris foveantur, & neutiquam depraventur, multò minùs destruantur: membra verò principalia & subservientia integritatem, aptam facultatum actionibus, retineant atque, ubi læsionem sentiunt, commodè restituantur. Quandoquidem in facultatum bono statu & instrumentorum temperie atq; aptitudine laudabili vita & sanitas consistit æquè, ac earum depravationem & abolitionem instrumentorumque læsionem varii morbi & mors ipsa non rarò consequi advertuntur.

DE RATIONE CURANDI HUMANORUM CORPORUM morbos per bonam Diætam.

CAP. I.

Flavæ bilis in humanis corporibus vis & efficacia.

Plinii locus explicatur.

PLinius naturalis historiæ lib. 11. cap. 37. videtur asseverare, quòd homines aliqui bile careant & ob id firmiore valetudine longioreq́; vita fruantur. Hujus sententiæ adstipulatores nos non habebit, quando intellexerit humorem, qui necessariò omni animantium generi, quod sangui ne alitur, inest. Si verò de morum crimine accipiendam sententiam duxerit, quod bilis nomine notatur ideo, quia

quia homines ad iram proni bile abundare censentur, nō reclamabimus, quandoquidem nobis constat, quantam mutationem præceps ira in spiritibus, humoribus & solidis corporis humani particulis efficiat: & quàm periculosis morbis aliquando occasionem fomitemq; biliosi humoris abundantia atq; effervescentia præbeat. Licet enim aliquibus animalibus natura provida de eorum vita & nutritione non produxerit receptaculum, in quo humoris hujus pars magna, sicuti fit in hominis corpore, colligeretur & ad usus necessarios adservaretur: Tamen hunc humorem in epate eorundem animalium abundanter ex alimento assumpto confici & cum reliqua sanguinis massa tum in totum animantis corpus ferri, tum in membris nutritivæ facultati servientibus coacervari, ut coctiones crudorum alimentorum juvet, certissimè nobis demonstrant verba Plinii, cùm dicit intestina

Aliquā animalia bilis flavæ receptaculo carere.

cervo-

cervorum tantam amaritiem ſapere, ut à canibus non attingantur. Vnde autem illa amarities inteſtinorum oriretur, niſi ex abundantia bilis flavæ, cujus ſubſtantia ignea, qualitas ſicca & acris eſt? Quod his verbis indicat Galenus Lib. 4. de uſu partium cap. 12. In quibusdam animalibus omnino non eſt κύςις: ſed ſoli pori bilem ab epate ad tenue inteſtinum velut derivant. Niſi enim ille humor in abundanti copia colligeretur & ſervaretur in inteſtinis quorundam animalium, quæ crudis alimentis veſcuntur, fieri non poſſet, ut eorum calor naturalis diu ſuperſtes eſſet: ſed debilitaretur & obtūderetur adeò, ut intra paucos annos coctioni crudodorum alimentorum non ſufficeret.

Cervis bilis copioſa ineſt. Non ſolùm autem in inteſtinis hunc humorem animalibus laborioſis & curſu velocibus abundanter generari, verùm etiam cum reliquo ſanguine in totum corpus ferri oſtendit tum eorum caro dura & ſicca, tum car-

carnium effectus, quem adſcribit idem autor carnibus cervinis Lib. 8. cap. 32, cùm ait cervos omninò febribus non corripi & homines, qui carne eorum veſcerentur, à febrium timore liberos eſſe. Corpora enim illorum animalium ſuperfluitatibus carent: & ideo carnes habent duras, ſiccandi facultate præditas. Quibus ſi veſcantur homines, neceſſe eſt humorum calidorum ſiccorumq; non exiguam copiam generari in eorum corporibus, qui membra ſimilaria exiccant & omnibus ſuperfluitatibus deſtituunt. Hinc corpora pura malorum, quæ ex abundantia humorum oriuntur, inſultus non ſentiunt. Ex his prudentibus omnibus conſtat, quàm provida fuerit natura in formatione corporum humanorum de vita & valetudine hominum, ut meritò à Plinii & Ariſtotelis, à quo Plinius ſua hæc transſcripſiſſe videtur, ſententia recedere, ob Creatoris omnipotentis opera miranda obſtupe- *Lib. 1. de Animalibus & lib. 4. de part. animalium.*
ſcere

ſcere & ejus providentiam ſummis perpetuisq; laudibus celebrare debeamus. Nam ex ſiccitate corporũ cervis velocitas curſus & vita lõga, quam eis aſſignat tum Plinius in loco antè citato, tum Virgilius, cùm de longa animalium vita agit, his verbis: Et quater egreditur cornicis ſecula cervus. Equis verò, aſinis & camelis robur artuum ad ſuſtinendos labores: volucribus levitas membrorum ad volandum contingit: cùm animalia carnes humidas & inteſtina dulcia habentia ſint ignava, gravia, & neq; curſui, neq; multo labori apta reperiantur. Ne itaq; hominum corpora aliàs imbecilla, & neq; crebris exercitiis, neq; duris laboribus idonea hoc humore unquam deſtituerentur, quo calor naturalis maximè indiget ad perfectionem ſuarum operationum: provida natura non tantùm in epate hujus humoris certam quantitatem ex alimẽto aſſumpto generat: verùm etiam de generato tantùm ſanguinis

De bilis flavæ utilitate vide plura lib. 1. cap. 5. Lege etiam Platonis Timeum. Gal. lib. 4. de uſu part. cap. 4. Avicen. lib. 3. Fen. 15. Tract. 1. c. 1.

nis massæ immiscet, quantum in reliquis membris ad nutritionis opera rectè perficienda necessarium calor naturalis requirit. Maximam verò ejus partem in vesica epati affixa colligit, ut & officina sanguinis caloris naturalis fomento & robore munita esse possit, & corporis totius particulis alimentum cōmodè apponi colorq; cutis amœnus remanere queat. Si enim hic humor omninò cū sanguine ferretur, sua ignea vi similaria membra exiccaret, nutritionem impediret & cutem marcidam flavoque colore turpem redderet. Cùm itaq; ex alimentis in ventriculo, cuj⁹ fundus super folliculo fellis aliā ob causam nō quiescit, quā ut ab huj⁹ humoris ignea vi calor naturalis in vētriculo foveatur & juvetur, chylus formatur: Deinde cùm coct⁹ chylus per venas mesaraicas ad epar sugendo trahitur nō quidem omninò, sed tantùm id, quod optimū & nutritioni humanorū corporū utilissimū est, ut in epate per secun-

cundam caloris naturalis coctionem chymus ſive maſſa humorum præparetur; plurimum profectò calori naturali in actionibus naturalibus ventriculi & epatis adjumenti hic humor affert. Rem ita ſe habere manifeſtè patet per Galenum, qui lib. 1. de alimentorum facultatibus in præfatione oſtendit carnes bubulas à bilioſis naturis faciliùs concoqui, quàm piſces ſaxatiles. In ſolidiora enim alimenta hic humor ſua ignea vi & efficaci qualitate fortiùs agit, quàm in ea, quæ mollem friabilemq; ſubſtantiam ſortita ſunt. Tandem etiam aut copia auctus aut occulta facultate nervoſi receptaculi effuſus copiosè per meatum certum ad jejunum inteſtinum mittitur. Inde non ſolùm ſicca excrementa hujus humoris qualitate ignea & colore aureo inficiuntur atq; flaveſcunt: ſed etiam inteſtinorum expultrix virtus acrimonia ejus ſtimulatur & excitatur, ut nutritioni ineptam ſuperfluitatem tempe-

Gal. lib. 1. de Tempera. c. 1. & lib. 5. de Vſu part. c. 7.

tempeſtivè dejiciat. Præterea per cōſpicuum meatum ad ventriculi fundum ex fellis folliculo effunditur aliquanta copia, ut tum ab ea ventriculus calefiat, tum abſtergatur, ne pituitoſorum humorum ſuperfluitatibus tunicæ ejus infartiantur. Idem facit hujus humoris portio, quæ cum ſanguine in totum corpus neceſſariò fertur, in ſimilaribus membris, dum illa abſtergit & ſua acrimonia irritat expultrices in ſingulis facultates, ut excrementitia per meatus idoneos tempeſtivè repellant. Ejus etiam tenuiſſimam & humidiſſimam partem ad renes atque veſicam ferri, ut inde ſeroſi humores legitimo tempore expellantur, nullus optimorum Philoſophorum medicorumvè inficiabitur. Niſi itaq; hujus humoris juſtam quantitatem beneficio caloris naturalis in animantium, ſanguine & vita præditorum, potiſſimùm tamen hominum corporibus cum reliquis humoribus ex chylo, ventriculi

coctione præparato, facultas naturalis generaret, anima in hominis corpore non diu superstes esset: multò minùs, mediantibus facultatibus in instrumentalibus membris tam varias, tamque necessarias vitæ conservationique hominum operationes edere posset per calorem naturalem, qui perficit actiones, quibus animæ facultates præsunt. Vt enim facultates naturales instrumenta pura habeant & reliquæ in suis instrumentis bona temperie utantur, similariaque membra superfluitates suas legitimè & tempestivè deponant, solius expultricis facultatis beneficium est, quod ei confertur ab hujus humoris acrimonia, qua membra tum organica, tum similaria absterguntur & continentur, ne meatus latentes obstrui à crassis humoribus vel à superfluitate noxia distendi aut dissolvi possint. Excrementorum itaq; ductus pervios & apertos ad tempestivas & opportunas superfluita-

fluitatum dejectiones efficit, unde sensus & omnium facultatum actiones incitantur, acuuntur & vigent. Hinc constat felle omne animantium, sanguine & vita præditorum, genus haudquaquam carere, etiamsi emunctorio sive receptaculo certo hujus humoris non nulla animalia destitui Plinius asseveret secutus Aristotelem, qui sapientissimo rerũ omnium Creatori injuriam facit, dum ait lib. 4. de partibus animalium, fellis nullum usum in animalium corporibus, sed tantùm excrementum esse. Quemadmodùm autem hic humor multum commodi præstat corporibus hominum, ut de cæteris animalibus taceamus, quandoquidem mederi hominibus & non brutis solemus, dum legitimam suam consistentiam, debitam ac cæteris humoribus accommodatam quantitatem convenientemque qualitatem retinet: Ita crudelis humor & hostis humanæ incolumitatis vitæque, citra contro- *Noxæ bilis flavæ.*

versiam, haberi meritò solet, quando naturalem suam consistentiam, iustam quantitatem & legitimam qualitatem amittit ex erroribus, qui in imprudenti aut temeraria vivendi ratione quandoq; committuntur. Procreat enim & fovet gravissimos, periculosissimos & plerumque lethales morbos, qui acutissimarum affectionum genere continentur. Hoc autem potissimùm tunc fit, quando propter obstructiones, putredines, aeris calidas & siccas qualitates, multa exercitia, amoris affectus, meditationes, vigilias, curas, duros labores, longam inediam, calefacientem siccantemq; victus rationem & similis efficaciæ præcedentes durantesvè causas hic humor in corporibus humanis copiosè generatur, superassatur, inflammatur & vel inspissatus aliquam particulam, quæ de principalium membrorum numero est, invadit & occupat, vel ob cruditatem aliquam tenuis & fluidus redditus feroci

Plura de hac relege apud Avic. lib. 3. Fen. 13. Tract. 3. cap. 1. & apud Galenũ in principio alterius libri de Dynamidiis.

roci impetu de membro in membrũ fertur ac totum corpus inquietat. Proinde rectè de hujus humoris cùm superaſſatur violentia & malignis effectibus dicit Plin. libro 11. cap. 37. hoc modo: In felle nigro inſaniæ cauſa homini, morsque toto reddito. Hinc & in mores crimen, bilis nomine. Adeò magnum eſt in hac parte virus, cùm ſe fundit in animum. Quin & toto corpore vagum, colorem quoq; oculis, cuti & unguibus aufert: Illud quidem redditum etiam ahenis: nigreſcuntq; contacta eo, ne quis miretur id venenum eſſe ſerpentium. Hippocrates verò, cui peccantis bilis vis probè nota erat, medicos omnes monet, ut diligentes & cauti ſint in curatione morborum, quorum materialis cauſa bilis flava exiſtit. Libro enim de morbis externis ait: Morbi graves acutique fermè omnes necant vel maximum negotium faciunt, quos diligenter obſervato curatoq;: caveto etiam, ne quid mali cu-

rando inferas: sed tantum morbo resistito, quantùm possis, quod optimum est.

CAP. II.

Qua vivendi ratione curentur morbi, qui ex flava bile, consistentia, quantitate qualitate vé peccante, fieri incipiunt.

QVando bilis flava consistentia, quantitate qualitatevé peccat & in fluxu est, quo vel per omnes totius corporis particulas ferociter ferri, vel aliquam particulam, instrumētalem similaremvé, invadere incipit: statim mala in corporibus humanis aut eorundem particulis excitat, quæ acutissimorum morborum conditionem habent. Nam veloci motu ob caliditatem & acrimoniam materiam morbificarum affectiones hujusmodi ad suum vigorem ferūtur; unde ægris hominibus vel subita salus vel repentinus interitus accidit. Tempestivè

ſtivè igitur & dextrè ſubitis auxiliis hujusmodi malis occurrendum eſt. Aliàs operas medicas eludunt & vitam ægrorum hominum violenter depopulantur. Tutior autem & expeditior via, qua ejusmodi morbis occurritur, haud datur, quàm ea, quæ cõvenienti diæta humoris peccantis tenuẽ cõſiſtentiam coquendo incraſſat, craſſamvè incidendo, tenuando humectãdoq; liquefacit: multitudinem aufert: defectũ ſubſtituit: aut noxios qualitatum exceſſus alterando corrigit. Quando itaq; flavæ bilis quãtitas in proportione humorum naturalis eſt, atq; ſola cõſiſtentia, tenui vel craſſa, cũ qualitate frigidiore, quàm bili flavæ convenit, aut calida adeò, ut aduſtionẽ præſe ferat, morbos producit: neutiquã ejus ablationem, ſed coctionẽ, inſpiſſationem, aut liquationem alterationemvè fieri neceſſe eſt. Nam tenuis conſiſtentia cruditatem præſefert. Vlteriore igitur coctione, quæ rerum non naturalium exhibitionem talem requirit, quæ planè tem-

peratas corpori humano qualitates inducit, ad justam consistentiam redigi desiderat. Sin tenuitas habeat adjunctam vehementem & præternaturalem caliditatem, quæ coctiones à miti caloris naturalis qualitate perficiendas impedit: tum talis consistentia bilis incrassantibus & frigefacientibus alimentis corrigenda venit. Crassa verò consistentia frigefacientibus & humectantibus resolvi, liquefieri & attenuari jubetur, si illa ex ustione & siccatione humorum orta sit: sin cruditatem sapiat, calefacientibus, incidentibus, tenuantibus & humectantibus alimentis opus est. Quando autem humoris biliosi multitudo, sive ille justam consistentiam, sive crassam aut tenuem habeat, absque superantia qualitatum, morborum causa existit, minui & subtrahi ante omnia ejus copia debet: deinde reliquum ad justam consistentiam redigi postulat ita, ut tenuitas ex cruditate temperatis alimentis & rebus

bus non naturalibus, quæ calorem naturalem juvant atq; recreant, coquatur: craſsities verò liquefacientibus & humectantibus reſolvatur. Sicuti autem multitudo minuitur diæta, quæ contrariam habet qualitatem frigefaciendi & humectandi, qua tum generatio humoris peccantis amplior fieri prohibetur, tum id, quod redundat, conſumitur: ita defectus ejus ſimilium additione in ſex rerum non naturalium uſu obſervata corrigitur. Quando deniq;, ut ferè ſemper fit, etiam qualitatum exceſſus præternaturalis multitudini accidit, quamcunq; conſiſtentiam habenti, tum non tantùm ablationi vitioſi humoris ſtudendum & opera danda eſt, ut æquabilem conſiſtentiam reliquum adquirat: ſed & qualitatum ſuperantia alterantibus alimentis & aliis mediis, quæ in ſex rerũ non naturalium numero cõtinentur, tantiſper obtundi & corrigi poſtulat, donec humoris multitudo exceſſum qua

litatis deponat. & ad consonantiam cum reliquorum humorum qualitatibus redeat. Quibus verò præsidiis, quæ rerum non naturalium numero comprehenduntur, hæc commodè fiant, ex sequentibus ordine capitibus perspicuè patebit.

CAP. III.

Qua victus ratione utendum in curatione morborum acutorum, qui ex flava bile, consistentia peccante, fiunt.

QVoties morbi in humanis corporib. fiunt propter flavæ bilis, quæ justam quantitatem habet, consistentiam nimis tenuem: tantùm cõsistentia corrigenda & nihil de humore auferendum est. Si autem consistentia ex cruditate originẽ habeat, propter caloris naturalis ex quacunq; causa affectionem: causæ antecedentes & externæ auferendæ sunt per rerum non

Dieta in cruditate bilis tenuis.

non naturaliū administrationem talem, quæ calorem naturalem augere & bilis præternaturalem tenuitatem coctione idonea emendare possit. Aer itaque planè sit temperatus aut non nihil ad frigidam & siccam intemperiem inclinet. Cibus naturæ consuetus & talis, qui facilè cōcoquatur & non multum frigidarum humidarumq; superfluitatum generet, sed humoris biliosi tenuitatem nimiam leviter calefaciendo & desiccando absumat, adhibeatur. Panis convenit siligineus, purus & fermentatus. Vinum etiam clarum & mediocris ætatis, colore albū & sapore austerum non improbatur. Somnum brevem & vigilias longas multum facere ad exiccationem humoris tenuis censeremus, nisi cruditates ex nimiis vigiliis orirentur. Proinde somnum post peractam primam coctionem fieri & ad novem horas protrahi debere in conclavi temperato, corpore benè tegumentis munito, monemus. Exercitia jejuno vētriculo ad ru- *Aer.* *Cibus.* *Potus.* *Somnus & vigilia.* *Exercitium & quies.*

bedi-

bedinem cutis aut etiam aliqualem profusionem sudoris & frequentem anhelitum ægro homini, si per ætatem & virium debilitatem illa sustinere valeat, permittimus. Otia enim calorem naturalem, quem exercitia excitant & roborant, languefaciunt ac corpora cruditate humiditateque nimia replent. Alimentis frugaliter & parcè utendum, ne nimia eorum copia caloris naturalis actiones impediat & biliosi humoris cruditatem augeat. Inanitiones verò aut nullas aut perexiguas probamus. Calorem enim naturalem refrigerant & humorum tenuitati apponunt. Animi affectus tristes, ut mœrorem, metum, solicitudinem, anxietatem & similes motus ægrorum animis eximere & lætitia modica vel moderata iracundia calorem naturalem excitare, humores calefacere & membra humida exiccare studemus. Sic cùm consistentia tenuis ex fervore bilis causatur, omnis sex rerũ non naturalium admi-

Inanitio & repletio.

Affectus animi.

De dieta ferventis bilis, quæ tenuis est, infrà dicetur.

administratio ita instituetur, ut fervor bilis corrigatur, veluti infrà de qualitatibus in hoc humore superantibus, volente & juvante Deo, copiose ostendemus. Ubi autem nimia ejus crassities morbi incipientis causa est, tum aerem qualitate frigidum & humidum deligimus, præsertim quando ex superassatione humorum bilis flava crassam consistentiam adquisivit. Cibos offerimus frigefacientes, liquefacientes & attenuantes, ut sunt acetum, agresta, acetositas citri, succus limonum & omnes cibi, qui acetosis succis præparantur. Panis ex furfure non purgatus utiliter assumitur. Potum constituimus vinum album, tenue, aquosum, non valdè vetus neq; fortem efficaciam habens, cerevisiā tenuem, triticeam vel hordeaceam & claram, serum lactis, decoctum hordei, decoctū prunorum, passularum, ficuum, aquam saccharo coctam, destillatos succos ex acetosa, endivia, taraxacone, lactuca & similis qua-

Dieta crassæ bilis ex superassatione.

Aer.

Alimentum

qualitatis herbis. Somnum modicum & vigilias multas probamus. Quia vigiliæ calorem naturalem dissipant & debilitant, ne possit humores nimis adurere, sicuti facit tempore somni, quando intra corpus collectus robur accipit. Exercitia nulla & otium plurimum illis admodùm competit. Hoc enim humiditatibus superfluis sanguineam massam & omnes humores auget: Illa verò humores & tam instrumentalia, quàm similaria membra exiccant. Alimentis liberaliùs, præsertim iis, quæ liquida sunt & humectant, uti possunt: & ab omnibus inanitionum generibus sibi caveant. In aquis dulcib9 & tepidis frequenter natent: abstineant verò ab usu thermarum, quæ vim calefaciendi & siccandi continent. Ex Veneris usu graves noxas sentiunt. Ira, contentio, curæ, solicitudo clamorque illis nocent: sicuti ex tranquillitate animi plurimum auxilii percipiunt. Cùm autem crassities ob humorum cru-

Somnus & vigilia.

Exercitium & quies.

Inanitio & repletio.

Affectus animi.

cruditatem originem in bile flava sumit, humores crudi calefacientibus, coquentibus, incidentibus & attenuantibus consumantur in commoda vivendi ratione, quam præscripsimus morbis, à pituitæ qualitatibus fomitem sumentibus, & crassities bilis flavæ facilimè corrigetur.

Diæta crassæ bilis ex cruditate unde petenda sit.

CAP. IV.

Quali diæta curari debeat æger in morbis acutis, qui à flava bile, quantitate peccante, adhuc fiunt.

QVando autem flava bilis quantitate sua ita peccat, ut harmoniā humorum naturalem aut nimia sua copia turbet aut defectu læsiones inducere advertatur, justam tamen consistentiam habet, nec qualitate cæterorum humorum temperiem superat, unde etiam morbi acuti suam originem trahunt: tum omnibus ratio-

rationibus ejus quantitas in ægro hominis corpore minui debet. Aerem itaque deligimus ægro homini, cujus qualitates frigidæ & humidæ sunt. Qualem si propter anni temperiem habere nequeamus, arte industriaq; inducimus contubernio, in quo æger moratur. Nam conclavis fenestras & ostia, quæ ortum respiciunt meridianumque Solem in Æstate admittunt, summa diligentia claudimus & obstruimus: aperimus verò noctu, mana & vesperi fenestras & ostia, quæ Septentrionem spectant, ut aer contubernii alteretur ab auris, ex illa orbis parte leniter commotis, quæ spirat ventos, quorum qualitates intemperiem habent biliosorum humorum intemperaturam facilè alterantem. Alioqui ventos impetuosos & turbidos in contubernium non admittimus. Interdum per euripos aerem movemus & refrigeramus. Aquis fontanis aut glacie, in meatibus terræ adservata, pavimentum adspergimus

gimus aut ex ſimplicibus, quæ frigefaciunt & humectant, aquas deſtillatas aceto permiſcemus, & tabulata pulpitaq; iis irroramus. Cùm tempus anni fert, folia ficus, ſalicis, cucurbitæ, nymphεæ, vitium, fragariæ, violariæ, ſolani, plantaginis, endiviæ, ſonchi, papaveris, altheæ, malvæ, atriplicis, portulacæ, bliti, flores roſarum, violarum, nympheæ & ſimilis qualitatis alia pulvinaribus, menſis & ſedilibus inſternimus Multorum hominum aditum & crebra contentioſaq; colloquia ægrum vitare jubemus. Cibos ſubſtantia tenues, concoctu faciles & multam bilem generantes in corporibus humanis, poſtquam à calore naturali elaborati ſunt, eis nequaquam offerimus, quales ſunt aromata calefacientia, ſiccantia, penetrantia, incidentia aut tenuantia, cibi talis facultatis aromatis conditi, allia, apium, carui, cuminum, anethum, fœniculum, menta, ruta, mentaſtrum, naſturci- *Cibus & potus.*

um, radicula, origanum, basilicon, eruca, sinapi & omnia ea, quæ in chronicis morbis, qui à pituita fiunt, locum habent. Sed damus ejusmodi cibos, qui alvum laxant & copiam biliosorum humorum minuunt, ut sunt aquosa omnia, aqua mellis, caulium decoctum, aquæ destillatæ ex lactuca, papavere, fragis, taraxicone, endivia, cichorio, rosis, violis, cochlearum jus, fœnugræci cremor, ptisana, aqua hordei, galli antiqui brodium, quod vel constet ex herbarum prædictarum destillatis aquis, vel in coctione recipiant malvam, betam, atriplicem, mercurialem, violariam, brancam ursinã, ficus recentes, pisciũ testa intectorum decoctum, lentium decoctum, serum lactis, lac aquosum, vel crudum, mora jejuno stomacho comesta, olivæ ponticæ, salitæ, oxymel, panis multi furfuris, prunorum decoctum, pulpa, pruna siccata & aquæ mellis vinoq; recenti infusa. Pro potu ordinamus eis vinum non nihil auste-

austerũ & aquosum, quod neq; valdè vetus neq; forte sit, cerevisiam tenuem, hordeaceam vel triticeam, decoctum hordei, aquam simplicem vel ex simplicibus idoneis ritè destillatam & saccharo dulcoratã, vel cum prunis, ficubus passulisvè decoctam, emulsionem quatuor seminũ, majorum, frigidorum, cum aqua hordei factam, aut aquis destillatis & saccharo indulcoratis, aquas destillatas ex cerasis albis aut fragis. Vinum enim dulce, vetus, clarum, forte, aromaticũ & valdè calefaciens plurimùm nocet corporibus in quibus biliosi humores abundant, ut testatur Hippocrates lib. 3. de victu acutorum morborum, ubi ait: Vinum dulce ne his quidem utile est, in quibus amara bilis superat. Nam & sitim excitat & superiorem intestinorum partem inflat: inferiori verò intestino (quod flatus rationem attinet) non adeò infestum est. Sanè flatus, quem dulce vinum excitavit, non facilè permeat, sed in præcordiis diu commoratur.

Somnus & vigilia. Multo somno indulgere & quidem statim à cibo sumpto tam interdiu, quàm noctu possunt. Vigiliæ longæ iis *Exercitium & quies.* plurimo nocumento sunt. Exerceri citra incommodum neutiquam valent. Proinde otio quietiq; sese totos dedere debent, præsertim quando tempore famis indigētia est alimentorum aut Æstate aeris calor intensus humores in similaribus membris *Inanitio & repletio.* exiccat & bilem auget. Securiùs cibo potuq; repleri possunt, quàm abstinentia uti. Nam in longis jejuniis bilis orificium ventriculi invadit & non solùm crudeles morsus, sed & gravia mala, ut convulsionem, vertiginem, epilepsiam animique defectionem excitat. De his naturis loquitur Hippocrates Libro 4. Aphor. part. 17. cùm ait: si quis febrem non habens abstineat à cibo, & cordis morsum seu vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit, purgatione indigere per superiora significat. Sanguinis subtractionem, quocunq; modo il-

do illa fiat, sudoris provocationem, balnea sudorifica & exiccantia Venerisq; usum, præsertim qui jejuno vẽtriculo fit, admodùm difficulter sustinent: Imò interdum his evacuationum generibus temerè usi in gravissima valetudinis vitæq; pericula inciderunt. Subtractione verò humoris redundantis, quæ fit alvum lenientibus, de quibus paulò antè diximus, ut & vomitum irritantibus bilemq; flavam per inferna aut superna purgantibus, non modò non læduntur, sed & manifestè juvantur. Talia sunt absinthium Ponticum & vulgare, in oxymelle vel brodiis caponum serovè lactis coctum & epotum, alarum, capillus Veneris, centaurium cerasorum persicorumq; flores, rosarum & violarum flores, nympheæ flores, qui vel saccharo conditi comedũtur vel decoquuntur, vel succum expressione vel etiam aquam destillatione præbent, fumaria, lupulus, salictarius, intybum, cichorium, malva, mercuria-

 lis,

lis, violaria, myxa, pulpa cassiæ fistularis, tamar Indorum prunorumque tam domesticorum, quàm Damascenorum, ità comesta aut cum brodiis dictis & aquis destillatis vel sero lactis diluta atque in aurora jejuno ventriculo ebibita. Vbi magna necessitas subducendi humores biliosos nos cogit, pulpis brodiisq; subtilissimum scammonii crudi aut in Cytoniis malis cocti pulverē inspergere solemus: aut radicem mechioacannam, in levissimum pulverem contundendo & cribellando redactam, & alia, quæ neq; ob adversum saporem, neq; ob colorem, neque ob gravem & molestum odorem; neq; ob suspicionem aut multitudinem nimiam palato ægrorum ingrata sunt, alimentis admiscemus. Quando verò solida assumpta fuerint, quæ alvum ducere debent, statim post eorum usum liquidam sorbitionem, quæ intentionem nem nostram juvet, in quantitate justa exhibere possumus. Quando deniq;

deniq; alimenti vis, à natura adjuta, jam cepit alvum solvere, à sorbitionibus, potu & aliis cibis abstinendum est ægro eò usq;, dum alvus dejicere desierit. Iram, furorem, cōtentionem, solicitudines, anxietates, profundas meditationes & effusam lætitiam vitare coguntur: Quietis verò animum affectibus & non nihil tristibus continere, ut calor naturalis non nimiùm augeatur, neq; humoris hujus copia major ex alimētis assumptis generetur. Vbi porrò ad nimiā hujus humoris quantitatem accesserit substantiæ tenuitas ex cruditate aut qualitatis calidæ, siccæ, acris & humores resolventis fundentisq; excessu, statim post subtractionem superfluitatis insistendum coctioni & alterationi ejus, quod de humore peccante in ægro corpore reliquū est. Sicuti autem tenuitas propter cruditatem corrigitur coctione, de qua in præcedente capite dictum est: Ita tenuitas cum effervescente & acri qualitate alteratur

Affectus animi.

Tenuitas bilis quomodò corrigatur.

perseverantia in illa diæta, quam huic humori, quantitate peccanti, cõvenire paulò antè diximus. Omne enim nimium cùm sit naturæ inimicũ, tantisper subtrahendo & alterando minui debet, donec humoribus & qualitatibus justa consistentia redeat, ultra quam nihil amplius sibi attentandum prudentes medici norunt. Crassitie deniq; & fervore ad copiam hujus humoris accedente, diligenti studio crassities liquantibus & incidentibus frigidis humidisq; tenuando, qualitas fervens frigefacientibus & humectantibus alteranda est: deinde verò multitudinis minutio & superflui ablatio attentatur. Quæ si institueretur antè, quàm præparatio humoris crassi & alteratio calidæ acrisq; qualitatis fieret, multum noxæ corpori ægro inferretur. Nam propter crassitiem bilis peccans non ita facilè educeretur, sicuti tenuis bilis: sed irrito conatu ad motum & perturbationem incitaretur: prætereà quali

Quousq; subducendum & alterandũ sit.

Crassities bilis quomodò corrigatur.

qualitas infesta corpori inflammaret atq; eroderet vias, per quas transiret, unde gravioribus malis occasio daretur. Eadem ratione interdum à profundis partibus bilis educenda frigefacientibus & alterantibus inspissatur, ubi nimis tenuis est & fervorem vehementem habet, ut faciliùs educi & citra noxam per vias, excretioni destinatas, transire posit.

CAP. V.

Quæ diæta curentur morbi acuti, qui à bile flava, qualitate peccante, fieri incipiunt.

AT quando humor biliosus justam consistentiam & copiam, & quà neq; membra, neque virtutes corporis ægri gravari videntur, habet soloque qualitatis ferventis, urentis & acris excessu fluxiones excitare & morbos producere incipit: nihil ei humori detrahendum, sicuti in initio

morborum acutorum fit, quorũ causa est bilis consistentia tenui, nimia copia qualitateq; peccans & furenter fluctuans, ut monet Hippocrates lib. 1. Aphor. partic. 22. Sed tantùm alterando morbi acuti insultui occurendum. Aer proinde cõtubernii, in quo æger agit, frigidus & humidus esto natura, ut in Hyeme & regionibus sub Arctico polo sitis est, & Æstivo tempore in meatibus cellisq; subterraneis ad quas radii Solis rarò aut nunquam perveniunt: aut arte ita præparetur, sicuti in præcedenti capite o-

Cibus. stendimus. Cibi sint qualitatibus tum actu, tum potentia frigidis & humidis instructi. Tales sunt ex oleribus brassica, portulaca, spenachia, endivia domestica, lactuca, atriplex: ex fructibus panis siliginis aut tritici in aqua coctus, anguria, cucurbitæ, melones, cerasa acetosa & eorum pulpa cocta, fabæ recẽtes, jujubæ, mora immatura, emulsiones quatuor seminũ, frigidorum, majorum, oleum immaturum,

turum, persica, poma acetosa & insipida, pruna matura, pyra non admodùm dulcem saporem habentia, tubera: ex animalibus albumen ovi, caro porci domestici, lac, mamillæ lactantium, pisces recentes, pulmones, lac acetosum & alia similis facultatis edulia. Ad sitim restinguendam, quæ illis sat molesta & noxia est, musto vel vino valdè aqua diluto, simplici aqua, aut saccharo cocta, vel ex simplicibus frigefacientibus & humectantibus destillata, aqua hordei, cerevisia hordeacea & ea, cui nō multum lupuli triticivé adsit, uti possunt. In cæterarum rerum, non naturalium, usu dicenda præcedentibus conveniunt, ut hic non opus sit multa de iis præcipere. Potus.

CAP. VI.

Quæ diæta expugnet violentiam morborum acutorum, qui ex bilis flavæ defectu fieri incipiunt.

QUādo deniq; ob huj' humoris defectum

fectum morbi acuti in corporibus humanis fiunt, victus rationem, de qua hactenùs in hoc libro egimus, in correctione & diminutione biliosorum humorum, consistentia, quantitate qualitateve peccantium, omninò omittere cogimur & tali vivendi ratione uti, quæ humoris diminuti substantiam quantitate qualitateque augeat, jubemur. Eligimus itaq; ægro homini aerem calidum & siccum, si tempus anni atque regio eum nobis præstet, ut in Æstate & calidis regionibus fit. Sin anni tēpus & regio nobis talem aerem non concedant, ad officiosam artis medicæ industriam confugimus & aeri, in quo æger vitæ spiritum ducit, qualitates calidas siccasq; inducere nitimur eo modo, quem ostendimus in curatione morborum Chronicorum, qui à pituita originem sumunt. Cibos calefacientes siccantes & multum biliosorum humorum corpori humano offerentes, postquam à calore naturali cocti & ela-

Aer.

Alimenta.

elaborati sunt, eis exhibemus. A quibus enim alimentis biliosos arceri suprà diximus, ea hoc in statu ægrorum corporum maximè eligimus, ut sunt aromata, acria, incidentia, attenuantia, calida & diuretica semina, vinum album, tenue, vetus, clarum, odorum, sapidum & forte. Contrariæ essentiæ, qualitatis & facultatis alimenta in talibus morbis intentionem nostram impediunt. Panem non modò ex medulla triticea, aqua pura subacta, præparatum & benè coctum in talibus morbis eligimus: sed etiam jubem', ut intermisceatur ei, dum paratur, justa quantitas aromatum calefacientium & seminum diureticorum. Exercitia multa, longa & in loco calido facta laboresq; duros, jejuno ventriculo & excrementis redditis, in aprico calidoq; loco, usq; ad cutis rubedinem & anhelitum concitatum, injungimus: atq; ab otio eos, quantum per valetudinem, ætatem, consuetudinem sexumq; fieri potest, arce-

Exercitium & qui.s.

arcere nitimur. Somnum jejuno ventriculo longum facere & meridianum, vel eum, qui ſtatim à cœna ſumpta fit, vitare omni conatu debent. Inanitionum genera, quæ humoris bilioſi generationem promovere æſtimantur, ut ſunt frictiones duræ, balnea aerea & ſudorem elicientia, thermæ minerales, quæ vim calefaciendi & ſiccandi habent, vomitus pituitoſi, purgantia pituitoſos humores, venæ ſectiones & alia, quæ ſimili intentioni ſerviũt, ſecurè audacterq; admittimus: & à nimia repletione, præſertim quæ fit uſu eorum alimentorũ, quæ pituitam generant & difficilis coctionis vel cruda ſunt, illos ſibi cavere jubemus. Animi lætitiam, excandeſcentiam contentionemq; interdum per amicos illis excitari permittimus: & triſtitiam, metum, terrorem ſolicitudinemq; longè ab illorum animis removeri volumus. Hujusmodi enim mediis calorẽ naturalem, qui ob debilitatem, ex quacunq; cauſa ortam, minùs

Somnus & vigilia.

Inanitio & repletio.

Animi affectus.

minùs suum officium facit, quàm necesse est, ad generationem biliosi humoris excitamus & roboramus. Qui posteà recreatus & intensus ex idoneis huic instituto alimentis, vicissim producit copiam hujus humoris, necessariam tum ad multa calidi innati facultatumq; animæ munia, tum potissimùm ad promovendam, juvandam & irritandam expultricis virtutis actionem in omnibus pénè excretionum viis, qua excrementorum onere membra, quæ bilis acrimonia abstergit & ad superfluitatum expulsionem stimulat, levari ac muniis suis apta conservari advertuntur.

CAP. VII.

Quali diæta curentur morbi acuti, qui ex flava bile jam facti sunt.

SIcuti Hippoc. Lib. 2. Aphor. part. 27. dicit non multum formidi-

nis concipiendū animo ex malis, quæ præter rationem eveniunt. Plurima enim ex illis ſtabilia non eſſe, neque multo tempore perſeverare. Ita hoc loco aſſeveramus ex unanimi clariſſimorum autorum ſententia morbos acutos, quos flava bilis ita excitavit & adhuc fovet, ut eoſdem durare & radices agere in corporibus humanis advertamus, meritò tum ægris, tum medicis timorem incutere. Vehementes enim ſunt & graviſsima ſymptomata habent, ſive in principalib. particulis ſedem ſuam fixerunt, ſive ſimilare aliquod membrum occuparunt. Licet autem hi morbi, qui ex bilis flavæ, cujus conſiſtentia & quantitas ſecundum naturā ſeſe habet, qualitatibus ſuperantibus facti ſunt, aliquibus periculoſi non exiſtimarentur, quandoquidem alteratione idonea & ſufficiente intemperies præternaturalis facilè immutari & expugnari valet: tamen iidem ſuperabundante qualitate particulæ dolenti

val-

valdè nocent. dum humidum radicale exiccant & instrumenta adurunt. Quamobrem facultates particularum & ipsa organa graviter læduntur. Hinc est, quod Hippo. lib. 7. Aph. part. 13. asseverat convulsionem aut distensionem à fortibus æstibus malum portendere. Longè verò tutius esse, si febris convulsioni superveniat, quàm quando febrem convulsio excipit. Item lib. 2. Aph. part. 26. dixerat. Convulsio enim ex plenitudine vel redundantia humiditatum febrili ardore, qui superflua absumit, curari solet. Ea verò convulsio, quæ febres ardentes continuasq; sequitur, videtur habere originem ex siccitate, quam qualitas ignea membris corporis humani sua sævitia intulit. Illi verò morbi longè majora pericula ægris hominibus minantur, qui ex flavæ bilis, multitudine peccantis, coacervatione in aliqua corporis particula sedem fixerunt. Tantò autem majore industria hi opus habent ad

curationem, quantò eorum morborum materia tũ tenuior vel crassior, tum fervidior acriorvé esse ex symptomatibus apparuerit. Sicut enim propter nimiam tenuitatem difficulter hic humor à loco affecto ducitur, ut apparet aliquando in thoracis & pulmonum affectionibus, in quibus bilis tenuis collecta inflammationes, pleuritin, tusses & alia mala excitat: multò difficiliùs reprimi divertivé potest, quando ob suam collectionem à capite ad fauces & cavitates thoracis destillando fertur: Ita consistentia ejus crassa facit, ut lõga præparatione indigeat antè, quàm à loco affecto educatur aut in eodem digeratur & resolvatur. Accedit & illud, quòd huic humori, consistentia quantitateq; peccanti, secundum suam naturam insit feruens, urens, siccans & acris qualitas, quæ locos affectos in biliosis morbis interdum valdè urit, siccat, exedit, ulcerat graviterque lædit: & vias, per quas educi debet,

debet, noxa manifesta afficit. Proinde summis conatibus opera danda est, ut in acutorum morborum, qui à bile flava foventur & jam sedem in loco affecto fixerunt, curatione maturemus ea, quæ agenda sunt, & cautè adhibeamus tum illa, quæ humoris crementum prohibeant & jam generatum non modò minuant, sed etiam consistentiam ac qualitatem præternaturalē præparando alterandoq; corrigant antè, quàm ejus eductionem moliamur: tum quæ æquè loci affecti temperiem & facultates muniant, ne facilè lædi possint à qualitatibus peccantis materiæ, dum illa præparatur & alteratur: ac vias intermedias, per quas humor nocens à natura alimento idoneo irritata expelli debet, ita præparent & custodiant, ut humor peccans, citra earum noxam, commode transeat. Quomodò autem hujus humoris tum cōsistentia sit coctione colliquationevé corrigenda, tū maligna qualitas

In biliosis morbis maturanda sunt illa.

litas alteranda, ex præcedentibus hujus libri capitibus abundè patet. Neq; opus est, ut plura, hujus intentionis causa, à nobis hîc præcepta dentur. Saltem hoc observandum, ut alimentis coquentibus & alterantibus, localibus item præsidiis semper aliquid addamus, quod cũ naturali & sano loci affecti temperamento cognationem habet. Ita enim necessariæ alimentorum facultates faciliùs à loco affecto assumentur: & feliciùs in eodem suas actiones, ad morbum expugnandum necessarias, perficient. Ne verò hic humor majus crementũ sumat, sed id, quod in eo abundat, consumaturatq; educatur, omnia circa ægrum hominem ita disponenda sunt, quæ in numero rerum non naturalium continentur, ut substantiæ & qualitatib9 hujus materiæ resistant contrariis qualitatibus ac facultatibus: &, quantum fieri potest, temperamento sano, corpori affectæq; particulæ naturali, familiarissima proximaq;

Quæ alimentis immiscenda sint.

maq; ſint: Sin autem in bilioſo temperamento corporis ægri, quod biliosas affectiones patitur, contrariæ facultatis & qualitatis res non naturales adhibendæ fuerint, ita admittantur, ne nimiis agendi viribus plus, quàm neceſſe eſt, agant aut ſanum hominis ægri corpus in contrarium affectum deducant. Ægro itaq; homini ante omnia eligemus contubernium, in quo aer ſit frigidus & humidus, non tamen adeò frigidus, ut poros cutis obſtruat. Hic enim humor, quãdo difflatio fieri prohibetur, graviſſima incendia ſpirituum, humorum ſolidarumque particularum excitat. Hinc fit, ut ignis ſacer ſive Perſicus in affecto loco excitetur, quem gangræna, quæ eſt mortificatio caloris naturalis in loco affecto ex magna inflammatione, nondùm integrè facta, excipit, cùm imperiti Chirurgi membris externis frequenter adhibent valdè frigefacientia & ſtupefacientia, quibus conantur ni-

mium hujus humoris fervorem restinguere & dolores, quos sævissimos peneq; intolerabiles sua malignitate ac ferocia excitare nonnunquam solet, mitigare, obtundere atq; auferre. Nam dum validè refrigerantibus poros cutis condensant & adstringunt, omnis difflatio materierum in loco affecto latentium prohibetur & qualitates impeditæ magis ferociendo particulam afflictam corrumpunt, atq; calorem naturalem omninò in ea destruunt. Quod ideo commemorare voluimus, ut ostenderemus in localium præsidiorum adhibitione nos cautos esse oportere, ne nimis refrigerando igneum feruorem in membris affectis concluderemus, unde gravius incendium humorum biliosorum in membra affecta redundare consuevit. Hujus nos monuit Hippocrates libro 5. Aphor. part. 16. & 17. his verbis: Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullæ, affert convulsio-

vulsiones, distensiones, livores & rigores febriles. Quando autẽ aer contubernii per anni tempus calidum & siccum non potest haberi talis, qualem morbi essentia & qualitates ad sui depulsionem requirunt: ingeniosa industria tales qualitates aeri contubernii inducere solemus obstructione fenestrarum, quæ ortum meridiemq; spectant, & apertione earum, quæ Septentrionem respiciunt, quando aer tranquillus & serenus est neque turbulentis agitatur ventis. Versus occasum Solis positæ fenestræ aperiuntur circa ortum Solis, usque ad meridiem. Sole verò declinante ad occasum, eædem concludi debent, fenestræq; oppositæ, nimirum quæ ortum spectant, aperiendæ sunt. Sicuti nocturno tempore liber aer ab omnibus mundi partibus intromitti solet, ut aer interdiu conclusus alteretur atque expurgetur. Pavimenta, subsellia & pulvinaria contubernii insternimus frondi-

 bus.

bus, foliis, caulibus & floribus, quibus facultas est frigefaciendi & humectandi aerem. Crebrò etiam inspergi & de vase in vas fundi refundiq; jubemus aquas frigidas, acetum vini, aquas destillatas ex simplicibus frigefacientibus & humectantibus. Cibos hujusmodi ægris eligimus solidos, duros, cōcoctu difficiles & neq; multum sanguinis tenuis, neq; biliosi humoris quippiam generantes in corpore, postquam à calore naturali cōcocti sunt: sed qui humorem biliosum alterent, minuant & educant. Quales sunt ex oleribus omnia, præter lactucam, frigefacientia & humectantia, maximè autem atriplex, blitum, spenachia, mercurialis, violaria, brassica, malva: ex seminibus quatuor semina frigida, majora, ex quibus per emulsionem juscula fiunt alba, lentes, lupini, milium, papaver, panicum, oriza, pisa, siliquæ, triticum coctum, hordeum coctum: ex fructibus citri caro, castaneæ, fa-

Cibus.

ba,

bæ, mora rubi, nuces humidæ, pepones, cucumeres crudi & in garo acetové macerati, pruna recentia aut exiccata, persica, ptisana, ficus immaturæ, olivæ immaturæ, glandes, poma & pyra acetosa duraq;, palmulæ immaturæ: ex radicibus pastinaca, rapa, apium, fungi, bulbi crudi: ex animalibus caro anatum, anserum, avium palustrium, animalium testa tectorum, cochlearum, veterum boum, hircorum, cervorum, columbarum, palumborum, merularum, pavonum, turdorum, turturum, piscium duriorum, in stagnis viventium, caseus antiquus, lac acetosum, corda, epata, ventriculi & intestina animalium aviumq;, præter testes gallinaceos, ova dura aut in sartagine cum butyro frixa: omnia denique acetosa, ut sunt acetositas citri, granati, limonum, agrestæ & accetum vini, quod in horum morborum curationibus miram efficaciam habere ait Hippocrates libro 3. de *Vide Aetium lib. 2. c. 239. & 240.*
 ratio-

ratione victus in morbis acutis, part. 40. ubi dicit: Cæterum acuta vis aceti, ut summatim dicam, his magis, quibus amara, quàm quibus atra bilis exuperat, conferre solet: quippe amara ab ipso dissolvuntur & agitantur ac in pituitam degenerant: atra verò bilis in massam attollitur & multiplicatur. Nam acetum atram bilem parit. Panis hordeaceus vel ex farris & tritici farina, quæ furfures adhuc continet, cum aqua simplice aut rosacea mista, coctus convenit. A cibis verò substantia tenui, rara, facilis coctionis & multæ efficaciæ ad biliosorum humorum augmentum ægros biliosos sibi cavere jubemus. Cujus generis sunt carnes juvenculorum animalium, ut agnorum, hœdorum, pullorum, perdicum, gallorum castratorum, attagenum, columbarum, coturnicum, ovà mollia, pisces saxatiles, mel, fructus præcoces & dulces, edulia valdè dulcia, aromatis cale-

calefacientibus & ſiccantibus condita, acria & ſalſa omnia. In potu eis convenit aqua hordei, ſimplex aut cum ſuccis acetoſis præparata. Nam ut ſerviamus neceſſitati & palato ægrorum hominum, aliquando divitibus incoqui jubemus mali Punici grana expurgata, mali medici pulpam, ceraſa, uvas acerbas, oxyacanthæ baccas & ſuccum vel Riebes ſuccum poſt coctionem admiſcemus. Aliquando aquas deſtillatas ex ſimplicibus frigefacientibus, humectantibus & bilem alterantibus atq; ſubducentibus, delicati ægri libentiùs uſurpant, quàm alium potum. Multi tenui potu, qui fit ex pomorum acetoſorum & contuſorum in aqua fontana maceratione & expreſſione, delectantur. Quorum verò hominum natura vino uti conſuevit, iis aut vinum novum, craſſum & auſterum, aut certè album, tenue & debile vel multa aqua dilutum concedimus. Aqua etiam ſimplex, potui data Potus.

Hippoc. lib. 1. de victu morborum acutorũ part. 21.

ta plurimum in biliosorum humorum correctione & consumptione valet. Vinum verò dulce, ut clarum, vetus, odorum, dulces potiones, quæ ex melle aut fructibus dulcibus, ut passulis, ficubus, dactylis, saccharo & similibus, fiunt & aquã mulsam, quam Hippocrates his, qui amara bile abundant & tumida viscera habent, per totum morbi decursum non convenire ait, si sedulò fugerint, non absq; commodo suæ valetudinis se id facere sentient.

Somnus.

Somno, qui ex sententia tam Philosophorum, quàm medicorum, est viriũ labore vigiliisq; resolutarum restauratio & defatigati corporis sensuumq; per quietem, qua animus velut in seipsum recedit, refocillatio, quæ calorem ingenitum qui nutrimentum ex alimento assumpto, corpori alendo necessarium, elaborat, præparat & in singulas particulas transmittit, intra corpus collectũ roborare atq; ad functiones obeundas magis idoneũ reddere valet, plurimo

timo indulgere possunt, ut circa alimentorum assumptorum coctionem occupatus calor naturalis à cæteris humoribus abstineat. Alioqui enim massam sanguineam inflammaret & plurimum biliosis humoribus crementi adderet. Fit etiam, ut in multo somno excrementa ultra debitum tempus in corpore retenta calorem naturalẽ gravent, coarctent & impediant, ne poſsit in humores præparatos sua acrimonia agere. Hinc frigidior & humidior massa sanguinis necessariò redditur. In mediocri verò somno, qui fit jejuno ventriculo, contrarius effectus plerumq; ostenditur. Nam calor naturalis in eo colligitur & cùm non invenit, quod cõcoquat, massam humorum invadit ac magis inflammat. Proinde ex somni effectu in morbis biliosis Hippocrates docet nos sumere pronosticum de nostrarum operationum exitu. Dicit enim lib. 2. Aph. part. 1. mortale signum esse in morbis, quando ægri à somno dete-

Suprà lib. 1. cap. 1.

Lib. 4. Aph. part. 43. etiã de febribus exempta ponit.

deterius habent: ſicuti non mortale putat, quando ſomnus ſymptomata morborũ mitigat & æger viribus recreatis etiam animo tranquilliore apparet. Affert etiam in ſecunda ejus libri particula exemplum, cùm dicit bonum ſignum eſſe, ubi ſomnus delirium ſedat.

Vigiliæ.

Vigiliæ verò multum de humoribus, qui in ſimilaribus membris ac nervoſis particulis continentur, abſumunt. Vnde fit, ut maſſa ſanguinea magis exiccetur & bilioſi humores reddantur. Quamobrem in acutorum morborum curatione, qui à bile flava facti ſunt, etiam obſcurando lumen diurnum conamur omnibus modis ſomnum ægris conciliare, ne videlicet humor bilioſus, in loco deliteſcens affecto, inter coquendũ alterandumq; efferatur & ferociter fluxu ſuo invadat aliquam aliam particulam, in qua ſecundum naturam colligi non cõſuevit. Porrò exercitiorum genus nullum cõvenit iſtiusmodi ægris: Sed ex quiete & tranquil-

Exercitium & quies.

lo

lo otio animi corporisq; plurimū auxilium percipiunt. Quandoquidem exercitia omnia calefaciunt & nimiùm adhibita non minùs, quàm duri labores, corpora exiccant biliosaque reddunt. Otia verò calorē naturalem torpere finūt & humores frigidos, qui bilis substantiæ, quantitati & qualitati vel maximè resistunt, in multa copia coacervant. Præter vomitum & legitimam alvi subductionem, quæ fieri debet aptis alimentis, quibus vis est alvum lubricā reddendi & biliosos humores secum extra corpus ducendi, nulla inanitionum genera iis corporibus conveniunt, quæ acutis morbis ex bile flava, quocunq; modo peccante, conflictantur. Etsi enim aliquando aperitur ægris vena in talibus morbis, qui bilem & materiam pro fomento habent: tamen in illis morbis non locum habet venæ sectio, in quibus materiæ peccantes jam sedem fixerunt: sed in his morbis, quorum materia adhuc in fluxu est & *Inanitio & repletio.*

pro

pro majori parte in venis cum sanguine fertur. Balneo aquæ dulcis tepido uti possunt ita, ut in dolio aqua pleno innatent. Etsi verò hujusmodi morbi sunt de numero acutorum affectuum: & ideo tenuem victum efflagitare videntur: tamen tantum abest, ut ægri in talibus malis tenui victu cum suo commodo utantur, ut etiam graviter ea vivendi ratione delinquant. Nam hi morbi maximè sunt, de quibus lib. 1. Aphor. part. 4. dicitur, quod victus tenuis atque exquisitus in acutis morbis, quibus non convenit, periculosus sit. Hoc ita se habere facilè ex iis, quæ ante dicta sunt, apparet. Idem innuere videtur Hippocrates lib. 4. Aphor. partic. 65. cùm ait: In febribus circa ventriculum & fortis æstus, & cordis morsus vel dolor, malum. In biliosis enim morbis calor naturalis est valdè siccus, acris & vehemens, ut carnes bubulas & solidiora alimenta faciliùs ac meliùs concoquat, quàm pisces saxatiles

Lib. 1. Aph. part. 5.

Gal. lib. 1. de Alim. Facu. in præfatione.

les & alia edulia, quæ facilis coctionis sunt. Si itaq; tenuissimo victu uteremur in talium morborum curatione humor biliosus augeretur per calorem, qui humores invaderet reliquos & inflammaret. Fieri etiam posset, ut bilis copia in ventriculum refusa ejus orificium occuparet & acrimonia sua non tantùm dolorificos morsus ac rosiones excitaret, verùm etiam ardore suo sitim inexplebilem, quam nigredo & siccitas linguæ comitarentur, foveret. Ad hæc si ex multo potu rigor & desipientia in ægro hominis corpore cõcitarentur, præsens mortis periculum ei immineret. Affectus deniq; animi in talibus morbis conveniunt ægris hominibus planè mites, quieti & subtristes. Lætitia itaq; ira, contentio, furor, clamosa colloquia & omnes animorum motus præcipites, qui humores inflammare & bilem irritare valent, maximè ab ægris vitari debent.

Lib. 7. Aph. part. 7.

Affectus animi.

CAP. VIII.

Quæ diætam in biliosorum morborum, qui jam facti sunt, curatione gubernare debeant.

Natura morbi quid fieri velit.

NE autem nimiùm procedamus in administratione rerum non naturalium, quando biliosos morbos curare debemus, diligenter attendendũ primò, quid natura & qualitas morbi requirant. Morbus autem gravis & sævus, qui ob vehementes qualitatum excessꝰ periculosissima symptomata habet, requirit subita & fortia auxilia: contrà morbus mitis bonorumq; morum, qui qualitates habet adeò intensas, ut eædẽ facili alteratione corrigi possint, mediocris efficaciæ remediis optimè curatur. Et fortis roboris multæq; operationis auxiliis qui in hujusmodi morborum curationibus temerè utitur, ægrum hominem sua audacia & imprudentia in con-

cõtrarium malum præcipitat. Excutiendum igitur secundo loco naturale hominis ægri temperamentũ, quod idem in statu sanitatis habebat. Ita enim morbi magnitudo meliùs æstimari & meta actionibus medicis certiùs præscribi poterit. Nam sicuti temperamentum cognatum vel longa vivendi ratione adquisitum & sanum qualitate similia requirit præsidia & conservationẽ sui desiderat: ita morbo contraria eò usque offerenda indicat, donec statum suæ incolumitatis recipiat. Quod autem ultrà à medico imprudẽti tentatur, id noxium est & contrarium priori morbo affectũ in ægri hominis corpore excitat. Tertiò advertendum virium robur. Hoc enim velut semper in ægro corpore conservari: ita debilitatum instaurari & refici cupit. Quamobrem viribus integris & validis, si necessitas requirat, validè alterandum & multum alimenti solidi offerendum, ut calor naturalis habeat, quod agat, & ab humorũ assatione tali pacto avocetur:

Temperamentum hominis sanum quid moneat.

Virium robur consideretur.

Illis verò debilibus, mitiùs agendum & neq; solida, neq; multa alimenta offerenda, sed talia, quæ à languidis caloris naturalis viribus, citra biliosorum humorũ augmentationem, probè confici possunt. Collapsis autem & planè prostratis viribus, nihil agendum, ne ægris causa interitus fuisse videamur. Quartò inspicienda ætas ægri, quæ docet puerorum & adolescentum corpora, si corripiantur biliosis morbis, facilè ob humiditatem & raritatem, sicuti etiam senum corpora ob frigiditatem & siccitatem, mitium alterantium præsidiis corrigi posse: cùm juvenum corpora, ob soliditatem membrorum & biliosum temperamentum, veluti etiam consistentium hominum ætas, fortia alterantia, quibus aliquid biliosæ qualitatis insit, sustineant. Non tamen tantum de bile auferendum in juvenum & ætatem consistentem agentium hominum corporibus, quantum aufertur in puerorum, adole-

Ætas ægri quare consideretur.

scen-

ſcentum ac ſenum corporibus, quando ex bile, quantitate peccante, morbis acutis correpta ſunt. Hinc prudenter dicit Hippocrates lib. 1. Aph. part. 16. victum humidum febricitantibus omnibus conferre, maximè verò pueris & aliis, qui tali victu uti conſueverunt. Idem tenendum de anni tempore, regionis temperie & cœli ſtatu. Nam in calida & ſicca horum conſtitutione plus bilis generatur, quàm in aliis qualitatum intemperiebus: & ideo in morbis acutis, qui tum in humanis corporibus à bile flava fiunt, non tantum periculi eſt, quantum mali inſtare cenſetur, quando in frigido & humido ſtatu hujusmodi morbi habentur. Plus etiam de bile auferre poſſumus in calida & ſicca anni regionisq; conſtitutione, atq; reliquum fortiùs alterare, quàm aliis partium anni regionumq; intemperiebus & cœli conſtitutionibus. Sic alimentorum copiam ventriculi humani meliùs Hyeme & Vere, quàm

Anni tempus, regionis temperies & cœlo ſtatus coindicent.

Hip. lib. 1. Aph. part. 15 & 18.

Æstate & Autumno, in frigida regione faciliùs, quàm in calida, ferunt.

Vitæ genus quid doceat.

Quintò vitæ genus non negligendũ, quod alii ægri habuerunt delicatum, otiosum & securum: alii durum, laboriosum & anxium. Sicuti itaq; habent dura corpora & quamcunq; mutationem citra noxam tolerant: Ita illis sunt mollia teneraq; corpora & à fortibus mutationibus, quæ subitò fiunt, exoluuntur aut graviter læduntur: mitibus verò & paulatim factis alterationibus minutionibusque optimè in integrum sanitatis statum restituuntur.

Sexus quid indicet.

Sextò perpendendus venit ægrorum hominum sexus. Licet enim quandoque fœminæ, quarum corpora sunt frigidiora virilibus corporibus, ex inordinata victus ratione incidant in biliosos & acutos morbos: tamen, ut ut ætatem florentem constantemque agant, non tam fortibus præsidiis indigent ad subducendam, concoquendam, absumendam aut alterandam morborum, à bile

bile factorum, essentialem & materialem causam, atq; virilia corpora, præsertim in ætate florente & vigente, requirunt. Sed ita tractandæ sunt fœminæ in biliosorum morborum curatione, veluti pueri, adolescentes & senes. Prægnantes etiam mitioribus subducentibus & alterantibus opus habent, cùm morbis correptæ indigent consiliis & auxiliis medicis, quàm hæ fœminæ, quæ uterum prægnantem non gerunt. Septimò consuetudo monet nos, ut aliquid sibi indulgeamus, etiamsi illa non nihil prava sit, cùm id, quod subitò contra consuetudinem fit, periculo non careat. Sicuti enim refert Galenus iisdem medicamentis, quibus alii morbos exacerbarunt, artifices curasse, quando ea rectè tempestiveque adhibuerunt: Ita iisdem alimentis, quæ aliquando grave periculum attulerunt ægris corporibus, quando aut minus dex- *Consuetudo inspicienda.*

trè aut præter consuetudinem oblata fuerunt, optimè morborum materias consumpserunt & residuum alterando ad bonum sanitatis statum ægros ex periculosis morbis reduxerunt hi, qui, observata consuetudine, qua ægri alii semel, alii bis, alii ter cibum in die assumere solent, alimentis bonis aut non nihil pravis legitimè & tempestivè in curatione ægrorum hominum uti potuerunt. Sicuti autem non nihil pravus sex rerum non naturalium usus, ex longa consuetudine observatus, nil quidquam noxæ inducit corporibus, dum ea intra consueta manent: & statim corpora læsionem sentiunt, quando in vitæ consuetudine aliquid novatur: Ita redire ad pristinam vivendi consuetudinem & paulatim id mutare, quod interventu longi temporis incommodum corporibus animisvé afferre posset, plurimum momenti habet ad sanitatis, quæ præsens est, conservationem & ad amissæ restitutio

tutionem. Habet enim tantum momenti consuetudo, ut, teste Hippocrate lib. 2. de victu acutorum morborum, etiam cubile præter consuetudinem molle aut durum molestum sit. Multo magis igitur corporum membrorumq; motus vel quies, quæ ex longa consuetudine sunt, si omittantur aut subitò mutentur, morbos efficere factosq; corrigere & auferre valebunt, si ad consueta ægrum redire paulatim subitovè, sicuti necessitas fert & occasio suadet, cogamus. *Idem supra lib. 3. c. 10.*

Octavò morbi tempora medicum commonent circa initia & finem omnia morbi debiliora viresq; naturæ fortiores. Proinde his temporibus pleniùs ægrum alendum & coctionem alterationemque humoris peccantis audacter tentandam: auferenda etiam superfluitas: in augmento verò & statu, quando morbus invalescit & vires naturæ sunt debiles, alimento detrahendum, donec in statu tenuissimo victu utamur: & tempo- *Morbi tempora ad diætæ ordinationem quid afferant.* *Hip. lib. 1. Aph. part. 10.*

re vigoris nil quidquam coctione, alteratione subtractionevé tentandum, sed naturæ, circa morbi materiam occupatæ, quietem dandam, ut securiùs & fortiùs suum opus agat meliusq; sese malo expediat. Errores autem in victu pleno vel tenui circa morborum principia commissi difficulter à natura in morbi statu feruntur. Gravior tamen error fit in victu tenui qui vires concidere sinit ante adventum vigoris, quàm in in victu paulò pleniore, quo vires roborantur, ut in statu ad victoriam obtinendam sufficiant. Ita & hi graviter delinquunt, qui à vigore morbi statim tenuem victum pleniore mutant & confertim ingerendo sorbitiones vel alia edulia vires ægrorum reficere cupiunt. Corpora enim impura quò magis nutries, hoc magis lædes. Vltimò locus affectus nobis in contemplatione, de instituendo victu apud ægros, qui ex bile flava decumbunt, suscipienda, occurrit. Quid verò

Hip. lib. 1. de victu acut. mor. part. 45.

Hip. lib. 2. Aphor. part. 10. & lib. 7 Aph. part. 65.

verò ille nobis auxilii præstet in inveniendo ægris idoneo victu, in sequenti capite breviter ostendere laborabimus.

CAP. IX.

Quid locus affectus fieri à nobis velit in præscriptione diætæ, qua morbi acuti, qui ex bile facti sunt, curantur.

DIximus suprà morbos biliosos aliquando occupare totũ corpus nimirum quando materiæ illorum essentiales in nullo loco figuntur, sed per totum corpus motu suo vagantur & omnia illius membra inquietant: aliquando radices agere in aliqua corporis particula, quæ ob suam debilitatem aut causas extrinsecùs advenientes secundum vel præter naturam tantam biliosorum humorum copiam collegit, ut eam citra noxam ampliùs ferre nequeat, sed

Morbos aliquos universales, aliquos particulares.

ſed aut ſeipſam lædi, aut facultates ſuas affici & actiones quocunq; modo depravari vel omninò aboleri ſinat. Quæcunq; itaq; corporis humani particula materiam morbi ſuſtinet & actionibus læſis morbum prodit, ea loci affecti rationem & conditionem apud nos medicos habere dicitur. Atque post univerſalis corporis rectificationem, quæ idonea ſex rerum non naturalium adhibitione facta fuerit, particulæ læſæ rationem habere cogimur. Contemplamur autem in ea primùm ſubſtantiam duram vel mollem, denſamque vel raram. Nam dura & denſa loci affecti conſtitutio non ita facilè ab humore bilioſo læditur, atq; mollis & rara. Et ſicuti hæc fortium alimentorum validas operationes citra noxam non ſuſtinet, ſed mitia & lenia deſiderat: ita illa à mitibus præſidiis ne tentatur quidem, à validis verò auxilia neceſſaria promptè percipit. Deinde excutimus, quam temperiem membrum affe-

Loci affecti ſubſtantia quid moneat circa diætã.

affectum secundum naturam habeat. Sicuti enim morbosa intemperatura corrigi: ita naturalis & in latitudine sanitatis consistens loci affecti temperies maximè conservari desiderat. Sive itaq; auferendum, sive coquendum, sive denique alterandum fuerit: semper aliquid momenti habeat temperamenti naturalis in loco affecto conservatio, cujus gratia alimentis, morbo curando idoneis, additur id, quod cum naturali temperamento loci affecti cognationem familiaritatemq; tota essentia vel qualitate manifesta habet. Ita enim aliquid actura ibidem alimenta promptiùs admittuntur ad locum affectum, & feliciùs in eo operatur, quod sanitati corporis necessarium est. Tertiò compositio membri nobis excutienda venit, quæ docet membris multorum organorum convenire dirigentia & munientia, quæ alimenta primarum facultatum & præcipuæ efficaciæ ducunt ad organa servien-

Loci affecti temperamentum quid velit.

Loci affecti compositio quod postulet.

tia

tia facultatibus, cujus actiones læsæ sunt, & cætera instrumenta muniunt, ne noxam à facultate primaria accipiant: membris verò paucorum organorum simplex alimentum, quod morbum & causam morbi sua facultate oppugnet, competit.

Loci affecti situs quid in diæta requirat.

Quartò ratione situs alimenta aliàs multa, aliàs pauca, & quidem facultatis modò fortis, modò debilis offeruntur. Nam si locus affectus propè sit positus, ut ad eum alimentum assumptum suam facultatem facilè transmittat: alimenta in ea quantitate, qualitate & virtute, qua statim agere possunt id, quod necessitas requirit, quando à calore naturali alterata sunt, exhiberi convenit: Sin in profundo corpore lateat locus affectus, ut ad eum substantia vel facultas alimenti per multas vias transire cogatur, oportet non solùm in magna quantitate alimentum assumi, sed etiam eidem alimento eam qualitatem & facultatem inesse, non

quæ

quæ ſtatim agat, quod debet, ſed tum quando ad locum affectum pervenit, potent ſit efficere id, quod volumus. Proinde talibus alimentis aromatica, quæ ad locum affectum alimenta aut eorum facultates dirigunt, vias intermedias muniunt & facultatem continent, donec ad locum affectum eadem perveniat, admiſcere cogimur. Quintò loci affecti ſenſus tardus aut celer, acutus aut hebes, conſideratur. Nam tardus & hebes loci affecti ſenſus alimenta localiaque præſidia fortis operationis deſiderat: veluti ſenſus celer, acutus & ſubtilis tantùm mitibus alimentis gaudet & localia præſidia requirit, quæ leniter & paulatim agunt, quæ neceſſitas fieri vult. His enim juvatur & fortibus læditur. Citra dolorem autem, quem fortis alteratio inducit, curatio omnis in corporibus hominum ægris tentanda eſt, quantum fieri poteſt. Deniq; functiones loci affecti, quæ ad vitam ſervan-

Loci affecti ſenſus quid in diæta ordinanda ſuadeat.

vandam muniaq; obeunda necessariæ sunt, maximè conservari volunt. Ea propter neque tum alimenta, neque fomenta aut alia extrinsecùs applicanda sunt, quæ actiones impedirent, quando necessaria münia in locis affectis fieri debent: neque quidquam intùs vel extrà admovendum membris patientibus, quod aliquid agat, nisi eidem quippiam mistum fuerit, quod primarias loci affecti virtutes muniat atq; conservet.

Loci affecti actiones cujus causa rei considerentur.

CAP. X.

De morborum, qui ex complicatis humoribus adhuc fiunt vel jam facti sunt, curatione per bonam diætam tentanda.

SÆpe numerò contingit, ut in fluxione humorum, qui morbos faciunt æquè, ac in morbis, qui jam facti sunt, complicatæ materiæ advertantur ita, ut una dominetur, altera con-

conjungatur: aut materiæ simul proportione sua peccent. Rarò enim unus aliquis humor sincerè fluit, ut etiam unam, simplicem & sinceram materiam rarò in loco affecto reperias. Ratione itaq; materierum adhuc fluentium vel jam in loco affecto collectarum oportet nos administrationem rerum non naturalium institue- re talem, quæ humorum simul fluentium vel jam in loco affecto quiescentiũ primùm quidẽ in toto corpore generationem & augmẽtationem prohibeat: deinde jam generatos minuat digerendo, dissolvendo, & dissipando vel etiam, si necessitas requirat, alterando corrigat: tertiò humores fluentes prohibeat & à loco affecto divertat: quartò collectos coquat & in membro affecto absumat aut, cùm hoc fieri nequit, præparet, resolvat atq; citra noxam educat. Oportet autem diligenter attendere, ut ejus humoris, qui principalis causa existit fluxionis vel collectionis, à qua morbus

Simplex sincerusq́; humor rarò fluit.

Qualis victus ratio in complicatis humoribus tenenda sit.

Primarii humoris ratio præcipua habetur.

bus incipiens vel jam factus fovetur, rationem præcipuè habeamus atq; interim primario humori consentientem conjunctumq; non negligamus. Sic enim promptè, postquam animadverterimus materierum complicatarum consistentiam, quantitatem & qualitatem, æstimare poterimus, unde morbi simplices complicativè originem & fomentum habeant: atq; cótrariam rationem vivendi instituere valebimus ita, ut humorum pravam consistentiam eadem simul corrigat, quantitatem augeat vel minuat & qualitates infestas sano corporis particularumvè temperamento optimè alterando emendet, donec omnia ad symmetriam & sanam humani corporis temperiem vicissim conspirent. Facilimum autem erit in omnibus omnium humorum fluxionibus & collectionibus aptam convenientemq; diætam invenire, si modò diligenti meditatione & lectione animo conceperimus & retinuerimus

Humor consentiens non negligatur.

ea,

ea, quæ hactenùs de morborũ Chronicorum & Acutorum curatione, per bonam victus rationem perficiendá, proposuimus. Cui, secundum certas rationes inventæ & institutæ, adeò firmiter inniti debemus, donec effectum, quem cupimus, consequamur, etiamsi tardiùs difficiliusq; aliquãdo instituti nostri actiones procedant, quàm vel nos cupimus, vel ægri homines suæ valetudinis causâ à nobis expetunt, ut nil quidquam in illa innovemus, mutemus aut moliamur, stante eo, quod initio cognovimus, sicuti prudẽter nos hujus monet Hippocrates Lib. 2. Aphoris. part. 52. inquiens: Omnia secundum rationem facienti si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud, stante eo, quod à principio visum est. Alimentorum enim facultates, quibus utimur apud ejusmodi ægros, qui medicamentorũ usum non ferunt, neq; sunt tam validæ, neq; tam manifestos effectus producunt, atque vires & operationes esse cogno-

Non temerè ratio victus, in morbis instituta, mutetur.

Alimenta mitiùs & seriùs agunt, quàm medicamenta.

scuntur medicamentorum, quæ cum idonea diæta dextrè tempestiveq; usurpantur apud ægros, qui à pharmacorum usu salutari & divinitùs hominum generi patefacto, ut laudentur mirabilia misericordis DEI opera & hominum vita, sanitas societasq; conservetur, neutiquam abhorrent.

CAP. XI.

In fluxionibus & collectionibus materierum peccantium diligenter advertendas particulas, quæ mandantium & quæ recipientium intermediorumq; membrorum vicem habeant.

DIximus hactenùs de morbis tum fieri incipientibus, tum jam factis, quòd sint aliquando intemperies, citra materierum peccantium præsentiam, eaq; simplex vel composita: & quòd aliquando intemperies morbosa habeat adjunctas materias sanguineas, pituitosas, biliosas vel melancholicas, quæ per se aut complicatæ adhuc fluunt vel jam in affecta particula

cula resederunt, ad quam vel secundum naturam, quando est emunctoria & superfluitatibus humorum destinata: vel præter naturam, quando aliquod membrum materias fluentes recipit, in quo istiusmodi humores acervari minimè debebant, adhuc in motu sunt vel jam fluere desierunt & locum affectum, in quo sedem fixerunt, molestant. Ostendimus etiam hujus fluxionis & residentiæ causas esse aliquando plenitudinem humorum, quæ vasa vel virtutes adgravat adeò, ut diutiùs contineri & regi nequeat: aliquando cacochymiam, nimirùm quando in substantia sanguinis plus biliosæ, pituitosæ, melancholicæ vel serosæ humiditatis existit, propter inordinatum vivendi modum, quàm constitutio corporis sani fert. In humorum etiam bonorum & malorum debita quantitate interdum esse pravam consistentiam, quæ vel propter tenuitatem & flatulentiam prona sit ad fluxum: vel pro-

pter crassitiem, lentorem & tenacitatem inepta ad motum alicui particulæ inhæreat: interdum malignis & putrescentibus qualitatibus humores ad fluxum impellit aut in aliquo membro collectos sua tum copia, tum aliena vel propria & excellente, acri, mordaci virulentavê qualitate morbos excitare ac fovere consuevit. Quomodò etiam morbis, ex hujusmodi causis fieri incipientib, atq; jam factis, per bonam diætam occurratur, ut homines ægri ad incolumitatem pristinam redire ac vitã in mortaliũ theatro protrahere cum bono tum suo, tum societatis humanæ possint, etiam diligenter ac fideliter, quãtum viribus animi nostri Divina concessit clementia, explicavimus. Reliquum porrò est, ut hoc loco etiam rationem habeamus membrorum, ex quibus, per quæ & ad quæ fluxus humorũ adhuc fiunt, vel jam facti sunt. Sæpenumerò enim fieri advertimus, ut humores consistentia, quantitate qua-

qualitateque secundum naturam sese habeant: nihilominùs tamen fluant & in particulis aliàs instrumentalibus, aliàs similaribus collecti morborum fomitem internamq; causam constituant. Cùm atq; in tali corporum ægrorum statu neq; humorum fluentium coctio, neq; eductio, neq; alteratio, sed membrorũ debilitas aut fortitudo in facultatibus correctione indigere videãtur ad repressionem fluxionum & impediendas humorũ fluentium collectiones: initio attendendum est, ex qua corporis humani particula humores ferantur. Hæc mandantis particulæ vicem subit. Diligenter verò ex cutiẽda venit ejus substãtia, durane, densa & solida, an mollis, rara & laxa sit. Secundò cognoscenda temperies naturalis ac præternaturalis. Tertiò facultates & functiones considerãdæ, primò an sint nobiles & valdè necessariæ, an verò ignobiles & subministrantes: deinde an eædem robur legitimũ habeant, an verò for-

Membrum mandans.

Quæ in membro mandante considerẽtur.

titudine debilitateve nimia ex intemperiebus laborent, nimirum an expultricis facultatis vigore humores à se propellant: an verò retentricis debilitate humores sibi necessarios aliò effluere sinant. Quartò membri compositio occurrit. Videndum enim primò, quam formam secũdum naturam aut præter naturam habeat, videlicet an sit cava vel non: aspera vel levis: etsi cavitas adsit, an eadem ampla vel angusta, longa vel brevis, suo membro serviens, an aliis communicans sit: secundò, qua magnitudine polleat, nimirum an satis magna, major, quàm decet, vel nimis parva cognoscatur: tertiò, an numero convenienti sit, abundet vel deficiat, ut in mutilo corpore: quartò, an situm habeat intùs, in corpore summo, medio aut imo: an verò extrà, in superficie corporis supremi, medii vel imi. Quintò advertendum an intra cavitates suas secundum propriam & ingenitam naturam humo-

rum copiam continere, an verò præter naturam interdum exiguam, interdum magnam humorum idoneorum superfluorumvé quantitatẽ coacervare consueverit. Sunt enim aliquæ particulæ, quæ copiosum sanguinem continent, ut jecur, cor, venæ, arteriæ, matrix: aliquæ parum sanguinis assumunt, ut renes, intestina, caro: aliquæ nihil sanguinis habent, ut nervi, ligamenta, vesica. Sic alii humores in aliis membris copiosi, in aliis pauci, in aliis omninò non esse advertuntur, quàm diu hominis corpus sanitate fruitur. At quando præter naturam à suis receptaculis ad alia membra, in quibus esse non consueverunt vel secundum naturam in tanta copia, quantam recipiunt, eos non recipere solent, humores fluunt aut jam fluxerũt: morborum occasio & materia in promptu est. Deinde explorare cogimur, quæ viæ sint inter mediæ, per quas materia humorum fertur vel jam lata est. *Viæ intermediæ.*

Quæ in viis inter media consideren-tur. ta est. Harum viarum consideratur primò substantia, nimirum an sint venæ, arteriæ, vel nervi: secundò an habeat quantitatem amplam vel parvã: tertiò, an meatibus rectis vel obliquis cõstent: quartò an meatibus insint cavitates multæ vel paucæ, per quas materia fluxionum ad alia membra fertur. *Membrum recipiens.* Tertiò membri recipientis rationem habere cogimur: & cùm cõsideravimus omnia, quæ in loci affecti cõtemplatione cognitu necessaria suprà diximus, tandem etiam inquirimus, an particula recipiens sit primarium membrum & nobiles actiones habeat in præparando & dando aliis particulis, ut ventriculus, jecur, cor, cerebrum, renes: an verò sit subserviens & ignobiles functiones sustineat in recipiendis secundum naturam superfluitatibus aliorum membrorum, quæ in triplici alimentorum coctione remanent, ut intestina, vesicæ, lien, cutis. Demùm membri recipientis qualitates, & accidentia inspicimus, nimirum an à suo temperamento

Quæ circa recipientes particulas cõsideremur.

to

to alienas receperit qualitates, quibus facultates vitiantur ita, ut attractrix fortiùs, quàm necesse est, ab aliis attrahat: aut retentrix diutiùs, quàm convenit, superfluitates retineat: aut coctrix & alteratrix minus, quàm anteà consuevit, membro apponat: aut denique expultrix virtus debilior sit, quàm ut superflua à se aliò propellere possit, donec excrementa extra corpus ferantur. Contingit enim sæpe numero, ut membri alicujus facultas attractrix, ob inflammationem doloremvé, ex quacunq; causa hæc accidentia fiant, valdè roborata, plus de humoribus, qui promptè sequuntur, aliundè attrahat, quàm eidem particulæ, propter attractionem naturalem, affluere consuevit, dum ab accidentibus libera erat: & ex nimia refrigeratione aut meatuum obstructione minus apponatur plusque humorum coacervetur in aliquo membro, quàm in naturali & sano ejus membri statu fieri solet. Quoties

Quando ratione partis mandantis diæta instituti debeat.

ties itaque fluxionis causa in parte mandante existit, non modò sex rerum non naturalium, sed etiam externorum præsidiorum administratio ita instituetur, ut mēbri mandantis intemperies præternaturalis corrigatur, unde vel expultricis robur, vel retentricis debilitas humores fluere facit. Viarum item intermediarum meatus, per quos materiæ feruntur, alimentis & externis auxiliis constringendi ac muniendi sunt, ne fluxū humorū transeuntium recipiant &, quidquid de iis receptū est, citra noxā digerant vel aliò, quàm ubi fluxio sedem figere cepit, propellant tamdiu, donecii extra corpus secernantur.

Quid viis intermediis fieri debeat.

Quando ratione recipientis particulæ instituatur diæta.

At quando recipientis particulæ intemperies non naturalis aliudq; accidens quodcunque facultatis actionem intendit & depravat; ut aut nimium idonei alimenti aut incōvenientes humores attrahat & intra se coacervet, ante omnia ejus intemperiei noxiæ & accidentium, unde error attractricis virtutis existit, correctio-

ctionem moliemur: deinde particulæ, unde humores boni vel excrementitii attrahuntur, retentricem facultatem munire conabimur, ne ampliùs quippiam de se ad locum, in quo collectio humorum fieri advertitur, admittat. Nihilominùs etiam vias intermedias adstringendo, roborando & contrahendo muniemus, ne transitum humoribus, ad affectum & recipientem particulam fluxu tendentibus, præbeant: At expultricis facultatis debilitatem, propter quam excremētitiis humores in membris, secundum naturam superfluitatum receptioni destinatis, aut in aliis præter naturam redundant ac morbos producunt, ex quacunq; causa illa oriatur, corrigere & virtutis robur intendere stimulantibus atq; alterantibus tantisper nitimur, donec ea vicissim robur accipiat, insurgat & noxium legitimè à loco affecto repellat. Quomodò autem & quib⁹ præsidiis membra mandantia, viæ intermediæ & recipientes particulæ roborentur, alterentur,

rentur, muniātur & corrigantur per rerum non naturalium legitimam & convenientem administrationem, ex iis, quæ hactenùs in libris his copiosè & perspicuè tractavimus, abundè patet.

CAP. XII.

Quòd idonea medicatio debeat adhiberi curationi ægrorum hominum, qui ex diæta parum auxilii sentiunt.

Quando ad medicamentorum præsidia confugiendum.

SI cui hæc, quæ ex usu rerum non naturalium sumuntur, præsidia non sufferint, ut quandoque fit in morbis malignis & rebellibus, quæ firmas radices egerunt, atq; necessariò sibi cum ægrorum consensu ad pharmacorum auxilia confugiendum esse statuerit, quod apud ejusmodi ægros, qui medicationem promptè admittunt, consultissimum & utilissimū est, quandoquidem medicamenta citiùs, fortiùs & feliciùs id, quod necessum est, sanitatis recuperandæ causâ expediunt in corporibus humanis, quando morbis cōvenientia eligūntur, justo tempore & legitimo modo adhibentur idoneaq; diæta adjuvantur, quàm alimenta, quæ paulatim & leviter agunt: ad medicorum optimorum scrinia, quæ medendi methodum docent & præsidia salutaria in hujusmodi

di malis, quæ sola diæta curari nequeunt, monstrant, animum oculosq; convertat: & ex illis suæ intentioni necessaria cum delectu ac judicio eruditæ & longo usu experientiaq; confirmatæ mentis remedia sumat in curatione tum ægrorum hominum, qui medicamentorum usum non metuunt, tum eorum, qui à medicamentis prorsus abhorrent. Hoc tamen apud hujusmodi ægros, quorum natura medicamentorum qualitates sapidas odoratasq; aversatur, diligenter caveeq; observet, ut eligat medicamenta non valdè gustum odoratumq; ferientia, neque nauseam excitantia, sed talia, quæ aut omnis odoris saporisque adversi expertia sunt aut odorem jucundum & aromaticum saporem habent mediocrem, qua facultatem efficaciamq; agendi tegunt & palatum delectant, quamobrem alimentis commodè misceri possunt, ne ab ægris præsentia eorum in alimentis gustu deprehendatur facilè & assumptum alimentum revomatur. Quandoq; etiam, insciis ægris, talia medicamenta eduliis, quibus eos delectari advertimus, misceri jubemus ita, ne ægri istiusmodi fraudem sibi fieri facilè animadvertant: atq; tum maximè cavemus, ne hujus doli, suæ vitæ & valetu-

Qualia medicamenta potissimùm adhibeantur ægris abhorrentibus à medicinis.

valetudini tam necessarii, quàm utilis, ab illis familiarium praemoneantur antè, quàm operatio, quam intendimus, ostendat, quid factum sit. Boni enim & sinceri medici est naturae hominum aegrorum succurrere, & vitam incolumitatemq;, quantum Divina permittit clementia, eorum promovere ac juvare candore artis & ingeniosa fraude, quae ab artis professionisq; suae limitibus non recedit. Divinus favor nostris conatibus & laboribus adesse atq; eventus felices utilesq; largiri clementer dignetur, ut DEI ter optimi maximi, qui est fons omnis boni & autor, dator conservatorq; sanitatis, bonitas atque sapientia in mirandis naturae, à se providissimè conditae, operibus cognoscatur atq; gratis hominum piorum animis in omne aevum celebretur. Amen.

Ingeniosa fraude aliquando utiliter.

FINIS.

ERRATA, QUÆ IR-repſerunt, ſic corrige.

IN TRACTATV PRIMO.

Fol. 5. lin. 7. ἐπιζυγερῆ. *12. 4. lucubrationibus. 14. 6. incrementum. 24. 4. intentionibus. 34. 24. poſſint. 35. 17. quapropter. 41. 7. artificū. 53. 9. fortem. 69. 22. æquè. 89. 14. gratus. 92. 24. peragant. 99. 5. advertantur. 107. 17. vi & 112. 22. virium. 119. 1. conſtitutioni. 131. 1. Fieri, ibid. 24 pondere ter. 140. 21. augeri. 142. 6. craſſitie. 143. 22. Quantò 147. 24. uſtionem. 153. 16. roborantium. 160. 5. difficultatemq;. 166. 4. præcipuus. 184. 14. legitima. 189. ult. fruantur. 190. 19. pro aut. ad ibid. 20. præſidia. 193. 16. certè. 194. 3. moneat. 221. 8. incolarum. 225. 6. tempore. 234. 8. pro illa, ullum 242.*

Ii 24. ir-

24. irritantia. 244. 18. malignitates. 252. 2. caliditatem. 261. 20. aromatis. 268. 13. malignas. 273. 15. drachmæ. 296. 4. membro. 312. 11. bos. 324. 10. mediam. ibid. 23. impeterent. 252. 23. sua substantia. ibid. 24. dele, membris. ibid. 26. obnoxiam. 374. 2. inconveniente.

FINE

IN TRACTATV SECVNDO.

Fol.2.lin.ult.lege; τοῖς τοῖς.8.6.dele.lib. 10.11. lege:adhibebant. 16.ult.opere.28.2.afficiuntur.& lin. 9.dictorum.62.in marg.lege: Rerum.71. 12. ἔυχυμα. 82.2.humorum.91.9.ægris.95.4.ἀξίωμα.103.5.felici.115.22.deniq;.126 3.examinata.136.17.conabimur, 150.16.deprehenduntur.170.5.caro bubula. 222.18.erodens,membra,quæ ab eo.234.18.temporis.254.penult. exercenda. 259.12.τοῖς.& lin 15. ἅπαντο. 282.antepen.membro.285.19.fit,propter. 286.23.emoriturq;. ficuti.296.18.cydonia.298.11. serumvè lactis.& lin.22.exuperantia.360.11.ægrisq;. 304.21 superfluorum: morbos.313.1.repleri potu,& lin.10.Lib.11.c.54.fol.314.in marg. part.51.fol.317. lin.8.salicis.335.8.cyclaminus.336.7.eis non concedemus.352.19, nimium.359.12.concedimus.360.9. cicer recens.379.16.in morbos.404 in marg.ad fin.de dynamijs.416.12.noctu,manè,& 433.11.Idem.434. 11. avertivè. 453. in marg.cœli status quid coindicent.463.3.potens.469.2.dele. est. 470.6.collecta. 471.6. itaq;.

Leviora quædam prudens Lector, pro candore suo, ipse corriget.